D. IODOCI CLICHTOVÆI,

DE VITA ET MORIBVS SACERDOTVM LIBELLVS AVREVS.

Auctior nunc recusus iussu & impensis, Illustr^mi. atq; Reuer^mi. D. D. MARTINI SZYSZKOWSKI, Episcopi Plocensis.

Lucæ 10.

Curam illius habe, & quodcunq; supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.

Cum Gratia & Priuilegio. S. R. M.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Nicolai Lobij, Anno Dñi.
1608.



Num. 16.

Audite filij Leui. Num parum vobis est, quod separauit vos Deus Israël ab omni populo, & iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi & ministraretis ei?

ILLVSTRISSIMO atq; Reuerendiſsimo D. Dño MARTINO SZYSZKOVVSKI, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopo Plocenſi, Domino ſuo obſeruandiſſimo.

QVanto ſtudio, quanta vigilantia, quàm ardenti Animarum zelo & deſiderio, per breue illud trium añorum tempus, Illuſtriſſime atq; Reuerendiſsime Domine, Luceorienſem adminiſtraueris Epiſcopatum, Inſtitutionum pro Congregationibus Decanali-

nalibus conſcriptio, Ecclesiarum diligens inſtituta & peracta viſitatio, Fratrum Ordinis S. Franciſci Minorum de Obſeruantia Breſtium, Conuentualium Cremencium, Societatis noſtræ Luceoriam, in laboris partem introductio, Diœceſanæ Synodi celebratio, deniq; Catechiſticæ Doctrinæ ad ſingulos, maximè Parochos directio, teſtantur prædicantq; luculentiſsimè.

Hoc diuino accensus igne, & æstu correptus sancto, DEI, & Apostolicæ Sedis, necnon S. R. M. in te gratia & clementia, ad Episcopatum Plocensem tanquam ad maiorem & feraciorem translatus vineam, voluisti vt Iodoci Clichtouæi Parisiensis olim Doctoris de vita & moribus Sacerdotum excellenter sanè conscriptus libellus in vsum Cleri tui auctior recuderetur.

Quod cùm factum iam ſit, ecce ad Illuſtriſsimam T. D. Cliens hic venit humillimè ſupplicans, vt eum Reuerendiſsima T. D. pro ſingulari ſua, qua omnes complectitur hoſpitalitate, & in Aulam ſuam, tanquam nouum hoſpitē admittere: & omnibus ac ſingulis maximè curam Animarum agentibus Sacerdotibus commendare dignetur, quo liberiùs & confidentiùs eorum Paro-

chias & Bibliothecas intrare, atq; adeò in eorum ſeſe manus, ſinus, & intimos etiam animi ſenſus inſinuare, & illabi poſsit. quo facto vberrimos ſanè hoſpitij ſui fructus recepturos ſe non dubitent.

Clementiſsimus DEus Illuſtriſsimam atq; Reuerendiſsimam T. D. ad diuini nominis ſui gloriam, Eccleſiæ augmētum, Reipub. ſolatium, & Societatis noſtræ præſidium,

cum omni bonorum incremēto conseruare confirmareq; dignetur in annos plurimos.

Illustrissimæ atq; Reuerendissimæ tuæ Dominationis

Humilis in Christo seruus

Georgius Fredlerus.

BREVIS AVTHORIS præfatio, qua candido lectori maximè Clerico cupit suum opusculum esse commendatum.

IN Georgicis Virgilius Latinorũ poetarũ facile Princeps, nimium fortunatos dicit agricolas bona si sua norint, lector candidissime: quod sine armorum strepitu mediocrem agentes vitam facilè ex terra victum capiant suis contenti rebus, & vrbium delicijs, Cererisq; vicijs minimè corrupti. Ego verò multo magis fortunatos asserere ausim sacerdotes, si suam nouerint dignitatem, ordinisq; sui excellentiam: qui propemodum diuinum & cæleste sortiti sunt supernæ miserationis indultu ministerium, offerendi Deo augustissimum, & omnium maximè salutare sacrificium: quòd item potestatem acceperint soluendi, ligandiq; peccata hominum in terris, eo quidem iudicio quod & Deus approbat in cælis: quod deniq; administrandorum in salutem & medellam animarum authoritatem habeant sacramentorum, quorum dispensatio ipsis à Deo est credita.

Educunt quidẽ agricolæ panẽ de terra & vinũ vt lætificet cor hominis, cùm tellurem incuruo proscindunt aratro, & vineam magna sedulitate repastinant atque putant. Sed hæc corpori tantum humano suppeditant alimenta moribundo sanè & paulo post in cinerem cõuerten-

do,

do. Sacerdotes verò verbis ſanctè imprecatorijs atque conſecratorijs panem ſuperſubſtantialem & cæleſtem conficiunt, qui de cælo deſcendit, vt daret vitam mundo: quem quicunque dignè manducauerit, mortem non guſtabit in æternum. Calicem etiam ſanctum inebriantem bibentes diuino amore & præclarum conſecrãt: cuius ſacro hauſtu animæ reficiũtur.

Rurſum agricolæ equos, boues, aſinos ligant ad præſepia, atque ſoluunt cùm ad opus exercendum eos educunt in agros. Sacerdotes autem diabolicis implicatos laqueis homines mira Dei virtute diſſoluunt, & liberos reſtituunt Eccleſiæ. Rebelles verò, proteruos & contumaces, duro anathematis vinculo arctiùs adſtringunt & alligant.

Deniq; Agricolæ ſua exercent munia, quę ad excolẽdos agros, conſerendas arbores, viteſúe parandas attinent. At ſacerdotes ſanctiſſima fidelibus ſacramenta miniſtrant, quibus aut regenerantur in Chriſto, aut reconciliantur Eccleſiæ, aut contra dæmonum inſultus, ac inſidias muniuntur. Neque abs re agricolis ſacerdotes in præſentia confero, etſi dignitate ſtatus longè ſuperiores. Nam & ipſi ſpirituales ſunt agricolæ diuini verbi ſemen inſerentes mentibus hominum, eaſq; ad proferendum iuſtitiæ fructum pio labore excolentes. Iidem quoque continuè laborant in vinea domini, atque vt vuas illa producat non labruſcas, ſanctum ſtudium peruigiles impendunt. Et meritò quidem


fortunatos dixerim sacerdotes, si suam attentius nouerint dignitatem, & sua quibus à Deo donati bona: quoniam ea potissimum ratione adducentur ad seruandam accuratius vitæ honestatem, & eos mores amplectendos: qui tantæ gradus sublimitati dedecus & ignominiam non ingerant. Vbi enim diligenter animaduerterint quam insignis & ardua est ordinis sacerdotalis professio, quam augustum est & sublime illius sortis Ecclesiasticæ officium, nemo eorum (vt reor) non studebit eam capessere vitæ formam, quæ deceat tantam vocationem.

Quinimò coniectare cuilibet non est difficile tam probrosa malorum genera & grauia peccata in sacerdotum vita irrepsisse: eam potissimum ob causam, quòd suæ dignitatis non habent rationem: neque quanta sit sui gradus ac ordinis celsitudo atque magnitudo, satis pensiculatè apud se expendunt atq; considerant.

Quocirca non inutilem fecisse rem videbimur aut infructuosam, quod compēdiario hoc opusculo de vita & moribus sacerdotum disseramus, patefactâque officij ipsorum eminentia atque præstabilitate, quam agere debeant vitam, & quibus effulgere virtutibus ex sanctæ scripturæ sacrorumque authorum testimonio, dilucidemus. Quam quidem elucubratiunculam omnibus & singulis maximè verò curam Animarum gerentibus commendatam esse cuperem, vt huiusce libelli lectione sacerdotes,

deinde in vniuersum omnes, suam cognoscant sortem, & virtutem studiosius colant. Memores istius grauissimæ Paulinæ sententiæ. 1. *Pet.* 5.

P Ascite qui in vobis est gregem D E I, *prouidentes non coactè: sed spontaneè secundum* D E V M, *neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed formæ facti gregi ex animo. Et cùm apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcessibilem gloriæ coronam Amen.*



INDEX PRÆSENTIS OPVSCVLI, secundum ordinem, inſcriptionem, & materiam capitum digeſtus.

Ad titum

Ad Titum 2.

IN omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in Doctrina, in Integritate, in grauitate verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is qui ex aduerſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

SACER-

SACERDOTII ANTIquitatem, ab ipso mundi exordio deductam, magnum dignitatis illius esse argumentum.

CAPVT I.

Sacerdotis definitio.

SAcerdos ab authoribus definitur is esse, qui Deo ad sacrificia facienda peculiariter dicatus est: & sacerdotium ipsius sacerdotis esse munus atque officium. Nulla siquidem fuit vnquam gens tam effera, immanis, aut barbara, quæ Deum aliquem habendum nescierit, & certò ritu colendum, tametsi à Dei veri agnitione & puro eius cultu, in varios acti errores permulti fuerint alieni. Et certè natura ipsa videtur omnibus hominibus hunc religionis & pietatis in Deum instinctum tacitè indidisse: quo etiam apud extremos Garamantas & Trogloditas degentes: suo (quisquis is fuerit) Deo cultum cum veneratione exhiben-

Natura homini indidit religionis cultũ

dum

dum putauerint. Quinimmò ab ipso summo rerum authore hanc ad religionem animorum propensionem insitam fuisse cunctis, haud ab re credi & dici potest. Vt quoniam à se nequaquam subsistere aut bona percipere seipsos naturæ ductu nouerunt: superiorem quandam naturam excellentioremq; esse autumauerunt: à qua & subsistentiam & bonorum communicationem susciperent: quam communi quadam ratione Deum nuncupauerunt.

Proinde & legumlatores omnes studiosè id populo persuadendum putarunt: pietatem in Deum habendam esse, & venerationem debitam illi impendendam. Et qua ratione ea fieri debeat, quoué ritu diligenter explicuerunt, ita vt nulla vnquam legatur Respublica, neq; Barbarorum, neq; Græcorum, neq; Romanorum cultus vtcumq; Deo (vni aut pluribus) offerẽdi expers. Legumlatores suaserunt Deorum cultum.

Sanè Aristoteles in sexto Politi- *Aristo-*

teles suasit Deorũ cultũ

Cicero. suasit Dei cultum.

Gentiles non quosuis admiserunt ad sacerdotium.

corum libro illi suffragatur sententiæ, dicens. *Oportet in Ciuitate aliquos esse curam Deorum habentes scilicet sacerdotes.* Astipulatur eidem Cicero his verbis. *Sublata (inquit) pietate in Deum ac religione, fides & societas generis humani, & vna excellentißima virtus iustitia tollatur: perturbatioq́ vita & maxima confusio sequatur necesse est.* Atqui diuina maiestate indignũ putarunt, solo rationis magisterio edocti, cuiusuis generis aut nationis homines, omnes passim admitti & promiscuè ad hanc sacrorum curam prouinciamq́; gerendam. Abiectos enim & sordidos, infimæué sortis & nullius precij viros iudicarunt nequaquam asciscendos ad sacrificia Deo offerenda. Quòd id ministerium vt omnium eminentissimum & honoratissimum putarint non nisi à præclaris & eruditione virtuteq́; præstantibus viris explendum, ad hoc peculiari quodam delectu vocatis & designatis, idcirco apud om

nes ter-

nes terræ nationes ſemper fuiſſe leguntur, à reliqua turba ſecreti & honoratiore habiti loco: qui munus illud ſacra Deo offerendi obirent,& alijs poſitis negotijs peculiariter diuino cultui exercēdo vacarēt. Et nos inſigne id officiū ſortitos, atq; à vulgo & cæteris ciuilē habentibus adminiſtrationē ſegregatos ſacerdotes vocabant, quod ſacrificijs diuino numini faciendis intenti forent. Ex quibus omnibus conijcitur magnā fuiſſe olim ſacerdotū dignitatē, publico omniū cōſenſu atq; opinione. Taceo quod apud omnes gentes, regiones,& populos ſēper eorū fuerit conſtitutio primas ferè & præcipuas in Republica partes obtinentiū, aut ſaltem poſt reges proximum in ciuitate locum occupantium, ſine quibus & manca ciuitas, & mutila Reſpublica nequaquam ex ſuis partibus integrè coaleſceret.

Probatur ex Veteri teſtamento ſacer-

Cæterum prætermiſſis alijs nationibus & populis qui cæco errore abducti plures coluêre Deos: & cæ

dotij antiquitas. cutientes abierunt post vanitates & insanias falsas, operæprecium est ostendere in eo populo qui vnius & veri Dei cultor fuit magnam inueniri ipsius Sacerdotij antiquitatem, vt quod ab ipso mundi initio cœperit exordium : & ad finem vsq; seculi est permansurum.

Gen. 8.

1. Sacerdotium incepit ab Abel. Certè in ipsis humanæ propaginis foribus Abel iustus sacerdotij obiuit munus, & respexit Dominus ad ipsum & ad munera eius. Sed & Enoc Filius Seth, qui (vt ait scriptura) cœpit inuocare nomen Domini, nonne Sacerdotio functus est? Nóè quoq; post subductas diluuij aquas construxit altare Deo, obtulitq; holocausta super illud & odoratus est Dominus odorem suauitatis. Insuper ipsi Abrahæ à cæde regum reuertenti occurrit Melchisedech rex Salem, obtulitq; panem & vinum in sacrificium Deo, erat enim sacerdos Dei altissimi, & benedixit Abrahæ. Et vt paucis agam:

Gen. 4.

2. ab Enoch

3. A Noë.

Gen. 41.

4. A Melchisedech.

Sancti

Sancti illi Patriarchæ Abraham, Isa- 5. A Patriarchis.
ac, & Iacob Sacerdotali munere sũt
perfuncti, & eorum filij præsertim
primogeniti, quod vsq; ad tempo-
ra legis Mosaicæ à sacris authoribus *Exo.28.*
censetur sacerdotium primogenitu
ræ semper fuisse annexum. At verò
data lege à Domino in vertice mon
tis Sinæ constitutum est diuina or- 6.
dinatione vt sacerdotiũ Leuiticum A tribu Leui.
ab ipso Aaron inchoaretur, & vsque
ad salutiferum Christi in carnem ad
uentum continua serie deductum.
Et ipsa tribus leuitica peculiariter à *Num.4.*
Deo est selecta; ad ministerium ta-
bernaculi atq; templi illius tẽporis.

Deinde venit in mundum ipse *Heb: 5.*
Christus Sacerdotum omnium Prin
ceps & summus; cui dictum est à
Deo Patre. *Tu es Sacerdos in æternum* 7.
secundum ordinem Melchisedech. Qui A Christo.
post reseratam hominibus indefes-
so studio veræ virtutis ac religionis
sapientiam, seipsum in ara crucis cũ
clamore valido ac lachrymis hosti

Christus omnium Sacerdotum Princeps.

am Deo Patri obtulit, in reconciliationem totius humani generis, exauditusq; est pro sua reuerētia. Hac autem spontanea sui oblatione Christus Sacerdotum idea, finem imposuit Sacerdotio leuitico vnà cum veteri lege & eius institutis: inchoauitq; Euangelicum Sacerdotium, sicut & legem nouam ac ipsius sacramenta. Cuius quidem Sacerdotij successores reliquit Apostolos & viros Apostolicos, præter Sacerdotalem potestatem sapientia & virtute à Deo insignes: vt vniuersum orbē terrarū eliminatis superstitionibus ad vnius veri Dei cultum frustra cōtra nitentibus dæmonibus adduxerint. Quorum ductu atq; directione deinceps continuatum est id Sacerdotium per tempora primitiuæ & nascentis Ecclesiæ, & alia illi; proxima cum mira sanctitate & splendore virtutum. Ipsis verò succesêre sacerdotes alij, æqua sanè officij potestate, sed longe inferiore

Christus reliquit Apostolos successores.

Apostoli alios reliquerunt successo-

fidei

fidei & charitatis feruore atque vitæ sanctimonia: quod ob iniquitatis exundationem refrixerit charitas multorum. res sacerdotes.

Et hæc est temporum nostrorum (vt res ipsa indicat) conditio, status & qualitas, à quibus tamen ad finem vsq; seculi perdurabit sacerdotium istud Euangelicum: sicut & sacrificium istud vnicum & singulare, quod non nisi per sacerdotes potest offerri, de quo dictum est. *Mandauit in æternum testamentum suum.* Et rursum: *Memor erit in seculum testamenti sui*: illius inquam, quo Sacramentum in sui memoriam & offerendum & manducandum instituit. Quod quidem testamentum & mandatum si in seculum seculi confirmatum est: vt ibidem dicit Propheta in Spiritu: ante finem mundi non desinet. Rursum ipse dulcissimus Ecclesiæ sponsus, per Oseæ Prophetam dulci alloquio sponsam suam ita compellat. *Et*

Sacerdotium sicut sacrificium duraturũ in æternũ

1. Probatur

2. Probatur

Osea 2.

Lucæ 12 *sponsabo te mihi in sempiternum: & spon*
sabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in
misericordia, & miserationibus. Et
sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego
3. Probatur *Dominus.* Ad hæc. *Rogauit Dominus*
pro Petro, vt non deficeret fides eius.
Non personam ipsius tantum atten
dens: sed etiam totius Ecclesiæ cõ-
uentum, quæ erat ei committenda.
Ipse autem semper à Patre se auditũ
4. Probatur esse contestatur. Adde quod pro-
misit Dominus discipulis suis ab eis
Matt. 28. in cælum assumendus. *Ecce ego vo-*
biscum sum omnibus diebus, vsq; ad con-
summationem seculi, non quidem se-
cundum diuinitatis tantum maie-
statem, sed & sacratissimæ suæ hu-
manitatis præsentiam in admirabili
Eucharistiæ Sacramento verè consi-
stentem. At quomodo poterit Ec-
clesia Christi itidem & fides Catho-
lica inconcussa consistere: nisi sem-
per adsit illud viuificum & salutare
Sacrificium, quod est totius Eccle-
siæ fulcimentum, & legis nostrę fi-

deiq;

deiq; ſtabilimentum ? Permanebit igitur & illud ad finem vſq; ſeculi : neq; alterum illi ſucceſſurum eſt, vt neq; lex alia. Quare & ſacerdotiũ euangelicum, vſq; ad mundi conſummationem perdurabit. Et ſemper erunt ſacerdotes, qui diuinę maieſtati ea ſacra litabunt.

Porrò Venerabilis pater Hugo de ſancto Victore, libro primo de Sacramentis dicit, ipſum verbum incarnatum vt regem intraſſe in hũc mundum per aſſumptam humanitatem : vt cum diabolo bellaret, & quaſi tyrannum in alieno dominantem expelleret. Omnes autem priores ſanctos qui ante incarnationẽ verbi ab initio fuerunt electi, & venerunt in mundum : appellat eodẽ loco milites quoſdam optimos regem venturum in acie præcedentes, ipſis quibus tunc ſanctificabantur ſacramentis, quaſi armis munitos. Eos verò qui poſt incarnationem vſq; ad finem mundi electi ſubſe-

Hugo, de S. Victore.

Aſimili.

quun-

quuntur, vocat alios milites, non tamen alium sed ipsum eundem Regem præcedentem vnanimiter atq; alacriter subsequentes: habentq; & ipsi noui arma noua: tamen ab eodem armati & contra eundem hostem pugnaturi. Siue igitur præcedentes (inquit) siue subsequentes: vnius Regis Sacramenta portant, vni regi militant. Illi venturũ præcedentes, illi præcedentem subsequentes.

Mystica insinuatio. *Matth.* 21.

Et istud mysticè nobis innuitur per id Mathæi verbum in Euangelio, quòd Domino intrante Ciuitatem Hierusalem cum totius populi applausu & gratulatione, turbæ quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant, dicentes. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Per illas enim veteres: & per has, noui testaméti patres signabãtur. Haud dissimiliter intelligere possumus Christum in medio sacerdotum veteris & nouæ legis constitutum om

nium

nium esse caput, exemplar, & decus sacerdotum, & super omnes eximia & spectabili dignitate longè eminere. Eos autem qui in veteri lege præcesserunt sacerdotes, typum eius & figuram expressisse, atq; suo officio illius sacerdotium præsignificasse. Illos verò qui in nouo subsequuntur testamento, ad imitationem illius eodem fungi officio, illiq; assimilari vt absolutæ sacerdotum ideæ atq; veritati. Et hi propius ad suum ducem principemq; accedunt quàm priores, quod expressius eius signa gerant digrioremq; offerant hostiam.

Conspicua est igitur & magna sacerdotij dignitas, quod ab ipso mundi exordio ad exitum vsq; sine intercisione perdurat. Præclara est & sacerdotum professio insignisq; sublimitas, qui Christum eiusdem officij consortio atq; communione habent suum Præsulem, Archetypum & præsidem. Ad eum igitur

Admoni tiuncula ad sacerdotes.

vt scopum quendam oculos suos debent attentè conuertere notasq; & signacula virtutum eius in seipsis exprimere: ne à rectis tanti ducis aberrent vestigijs, neq; principis sui signa deserant. Dedecorosum est enim sub strenuo ducẽ militem esse pigrum.

SACERDOTIVM CVM REGIA potestate magnam habere cognationem; immò maiorem illa sibi vendicare dignitatem.

CAPVT II.

Apud gẽtiles ijdẽ erant Reges & Sacerdotes.

ARguit & id magnam Sacerdotij dignitatem quòd cũ regio principatu, (qui omnium ciuilium administrationum supremus est & eminentissimus) miram habet consonantiam atq; affinitatem. Cuius rei id indicio est: quod apud antiquos ijdem reges erant & sacerdotes. Quinimo & ipsos sacerdotes appellare soliti sunt antiqui reges sacrorum ob con

spira-

ſpirationem vnius magiſtratus cum altero. Apud Ægyptios enim priſca fuit conſuetudo ex omni philoſophorum numero ſacerdotes eligere, ex ſacerdotibus autem regem, qui vt philoſophos ſapientia, ita religione ſacerdotes, ac mox imperio adminiſtrando ſuperiores omnes reges tranſcenderet. Hinc Mercurium Ægyptij Trimegiſtum, id eſt ter maximum nuncuparunt: quod & philoſophus maximus, & ſacerdos maximus, deniq; & rex maximus fuerit. Et apud Virgilium deſcribitur rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; ſacerdos.

Vnde eligebantur Sacerdotes olim

Mercurius Trimegiſt' quomodo voca batur.

Sed faceſſant hęc Ethnicorum exempla & ad noſtratia potius ſtilũ conuertamus. Melchiſedech ille, quem B. Paulus ad Hebræos ſcribẽs egregijs extollit præconijs, rex Salem fuiſſe commemoratur, & idem ſacerdos Dei altiſſimi. Secundum cuius ordinem Chriſtus Deus noſter Sacerdos eſt in æternum: itidem

Probatur ex ſcriptura eoſdẽ fuiſſe Reges & Sacerdotes.

1. A Melchiſedech.

Heb: 7.

&Rex

& Rex regum & Dominus dominantium. *Ego autem* (inquit) *constitutus sum rex ab eo super Syon montem sanctum eius: prædicans præceptum eius.* Vt omninò intelligatur sacer ille Melchisedech propinqua fuisse imago atq; figura Christi, & in regali imperio, & sacerdotali officio. Nonne etiam Moyses dux fuit Israëlitici populi simul & sacerdos? Et Samuel iudiciariam habuit in Israël potestatem, etiam & sacerdotalem eminentiam. *Moyses* (inquit) *& Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius.* Nōne & Heli Iudex fuisse legitur populi in Israël (qui tum summus erat Reipublicæ illius principatus) & simul sacerdotij honore insignitus? Simon etiam Machabæus & qui post eum in Iudæa rerum potiebantur vsq; ad Herodem regem, duces erant populi nec non sacerdotes.

Quinimo in scriptura plerumq; inuenitur sacerdotium, regni titulo

Psal. 2. 2. A Moyse. 3. A Samuel. *Psal. 18.* 4. Ab Heli. 1. *Reg.* 1. 5. A Simone Machabeo. 1. *Machab.* 4. Sacerdotium re-

atque

atq; denominationi coniunctum. Vt cum Dominus in Exodo per Moysen ait ad filios Israël. *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactū meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra: & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Vbi sacerdotale vocat regnum, quod præcipuum est singulare & eminentissimum. Quoniam interdum nomine sacerdotum signantur in scriptura, qui maiorem cæteris habent authoritatem, & honorabiliorem dignitatis locum, quamuis sacerdotalem non gerant functionem. Vt cum secundus regnorum liber dicit, quòd filij Dauid sacerdotes erant, id est, primores regni, & post regem proximi honorificentia atq; potestate. Non enim ipsi sacerdotio fungebantur: vt qui de tribu Iuda erant, de qua non assumebatur quispiam ad altaris ministerium. Et id certè argumento est sacerdotum nomine re-

gnititulo coniungitur.

1. Probatur Exod. 19.

2. Reg 7

gium

gium quiddã & sublime designari.
Sed & ex alio loco ostendamus
2. Probatur sacerdotium regali coniunctum nuncupationi: quem nobis suggerit beatus Petrus ita ad fideles scribens. *Vos estis genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Vbi regale vocat sacerdotium, quod regiam quandam in spiritualibus functionibus præferat potestatem atque authoritatem. (1. Pet. 2.)
3. Probatur Rursum dilectus Deo discipulus de Christo in sua Apocalypsi loquens, ait. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo.* (Apoc. 1.)
4. Probatur Demum venerandus ille sanctorũ cœtus gratias agens Christo pro susceptis beneficijs in diuina Apocalypsi, in cantico suo nouo cecinit. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram.* (Apoc. 5.)
Quin imo sacerdotalis functio

(vt am-

(vt amplius aliquid adijciam)
nentior eſt & ſublimior r
teſtate. Quòd hæc ter
nat: illa cœleſtia. H
exercet potentiam
illa in animas: h
Dei ſunt & ad
ram, illi coll
nat, atq; ab
cleſiaſtico
ſcipit. C
nis, & ſp
ſtat, tant
giæ maieſt
tamen infic
ijs quæ ciuilis
Reipublicæ ſpe
terrenis principa
liſq; ſubiectionem & vene
debere, vt reddant quæ ſunt Cæ-
ris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.

Comprobat planè quod modò propoſitum eſt, eximius pater Hugo de ſancto Victore, myſticè exponens illa Geneſeos verba. *Fecit*

Hugo de S. Victore.

Deus

duo luminaria magna, luminare
præesset diei, & luminare mi-
esset nocti. Sunt (inquit)
iæ firmamento, à Domi-
na luminaria, sacerdo-
num, Rex & Epi-
lericus. Dies, spi-
præfigurat. Ita
sacerdotium:
est spirituali-
regnum:
bus. Con-
sol nocti, si
ps ad spiritua-
s secularium ne-
scientiæ suæ sere-
bis, qui in ista in-
idimus: in quibus
n tenebras est conuersus. Eia vide-
ant ipsi pontifices, quorum vices gerunt, quorum obtinuerunt cathedras, quorum infulis gloriantur: & iudicent ipsi, si non est ita vt cernimus. Considerent quos scientiæ radios, quæ virtutum lumina, quas charitatis scintillas, quæ spirituali-

um cor-

um correptionum fulgura ſuis emiſerunt temporibus: Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, Martinus: & mille alij. Fœlicia tempora, in quibus tam rarò malus inueniebatur, quàm nunc bonus in Eccleſia inuenitur. Nunc etiam luna conuerſa eſt in ſanguinem. Nam manus principum plenæ ſunt ſanguine ex actionibus & vectigalibus effundentes viſcera miſerorum, iuſtificantes impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferentes ab eo. *Iohe 2.* *Eſaia 5.*

Hæc ille. Ecce comparat nunc citatus author ſacerdotium Soli & diei: regnum vero lunæ & nocti. Qua collatione liquidò prodit ſacerdotalem authoritatem multò regijs facibus præferendam. Quod etiam non diſſimulanter oſtendit Conſtantinus ille magnus Imperator Romanus. Qui cum apud Niceam Bithiniæ vrbem conuocaſſet totius Eccleſiæ concilium ad Arrianam hæreſim euellendam, ipſe pro ſua modeſtia Epiſcoporum inibi

Conſtantinus magnus quātum detulerit Epiſcopis.

congregatorum conuentum vltimus cum paucis introiuit, inferioreq́; subsellio (cum hoc sibi Patrum iussione concedi petijsset) resedit. Cumq́; permulti Episcoporum super contentionibus & querimonijs inter se exagitatis expetijssent eius iudicium, ipse libellos, singularum expostulationem continentes sibiq́ue porrectos sinu tenens dixit, nequaquam ad se aut iudicem aliquē secularem spectare, iudicium de ijs ferre hominibus quos Deus in terris constituit omnium iudices. Proinde ad diuinum examen sua referant dissidia, neq; à seipso expectēt illarum rerum sententiam. Et simul his dictis omnes libellos nullo eorum introspecto in ignem coniecit exurendos.

Eusebius Ecclesiastica hist: lib. 11.

Magnum præterea eiusdem rei argumentum fuit, quod vbiq; administrantium sententias imperfectas esse voluit, & ad Episcopos per appellationem refugiendum esse san-

ciuit, si qui vellent ciuiles iudices refutare. Firmam verò Episcoporum sententiam fore iudicauit, & potiorem quàm aliorum iudicium esse voluit: imò tanquam ab Imperatore foret prolata, ab omnibus obseruandam: à qua ad alios quosuis iudices nullam passus est fieri prouocationem. Fortasse vt hanc ferret legem, illud eum diuinum monuit decretum, quod in Deuteronomio promulgatum legitur. *Si difficile* (inquit Dominus) *& ambiguum iudicium apud te esse perspexeris (inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram) & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesq; ad sacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit in illo tempore, quæresq; ab eis. Qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quæcunq; dixerint tibi, qui præsunt loco quem elegerit Dominus Deus tuus: & docuerint te iuxta legem*

Historia triparti ta lib. 1.

Quantũ De' deferri voluerit sacerdotib' in veteri testamẽto.

eius: sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille: & auferes malum de medio Israël, cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Quibus sanè verbis constituit Deus à iudicibus secularibus ad sacerdotes transferendum esse difficilis rei iudicium: & repugnantem sacerdotis decreto morte affici debere. Ex quorum vtroque non mediocre sumitur iudicium dignitatis sacerdotalis.

MAGNO SEMPER IN PRECIO apud antiquos habitam esse sacerdotij functionem & multis priuilegijs ab eis dotatam esse.

CAPVT III.

EST & illud dignitatis sacerdotalis non leuè argumentum

mentum, quòd apud antiquos plurimi ſemper exiſtimata ſit, & magno in honore habita: non ſolùm apud eos, qui veræ in Deum pietatis ac religionis erant gnari, ſed & apud illos qui illuſionibus dæmonum hallucinati procul ab ea deerrarunt. Apud quos legimus ſacerdotes eorum immunitate potitos fuiſſe & liberos à pendendo tributo, vectigalibus, & alijs Reipublicæ communibus oneribus: & permultis alijs priuilegijs ad maiorem facientibus libertatem præter cęteros donatos. Teſtis huius locupletiſſimus eſt liber Geneſeos, ita de Ægyptijs ſacerdotibus referens.

Emit ergo Ioſeph omnem terram Aegypti, vendentibus ſingulis poſſeßiones ſuas præ magnitudine famis, ſubiecitq́, eam Pharaoni, & cunctos populos eius à terminis nouißimis Aegypti vſq; ad extremos fines eius, præter terram ſacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex publicis horreis prębeban-

1. Ioſeph ſacerdotes Ægyptios magni fecit. *Geneſ*: 47.

bebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Et paulò inferius eodem loco: *Ex eo tempore vsq; in præsentem diem in vniuersa terra Aegypti regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absq; terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.*

2. Artaxerxes sacerdotes magni fecit. 1. *Esdræ* 7.

Artaxerxes quoq; Rex Persarũ in decreto suo, quod scribit ad Esdram scribam & sacerdotem: inter cætera munificentiæ suæ in templũ Domini officia, & illud inserit. *Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet: tribuatur diligenter in domo Dei cœli: ne fortè irascatur contra Regnum Regis & filiorum eius. Vobis quoq; notum facimus de vniuersis sacerdotibus & leuiticis, cantoribus, ianitoribus, & ministris domus Dei huius: vt vectigal & tributum, & annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos.* Idem quoque in tertio Esdræ libro reperitur edictum: vbi etiam immunitas ministrorum templi à tributis ita ex-

3. *Esdræ* 8.

plicatur: *Vobis autem dicitur vt omnibus ſacerdotibus, leuitis, & ſacris cantoribus & ſeruis templi huius, nullum tributum, neq; vlla alia indictio irrogetur, nec habeat quiſquam poteſtatem obijcere eis quicquam.*

Næemias item Iudæorum Dux optimus, cum deprehendiſſet ſacerdotes, leuitas & cantores, alioſque templi miniſtros: debitis ſibi portionibus primitiarum, oblationum, & decimarum fuiſſe defraudatos, per rapacitatem & auiditatẽ Eliazib ſacerdotis magni (qui constructo ſibi gazophilatio quæ aliorum erant ſibi congerebat atq; ibidem colligebat) & proinde illos relicto templo cultuq; diuino, abijſſe in ſuas regiones, reſtitit pro viribus tantæ iniquitati in ſua abſentia perpetratæ, & acta coram magiſtratibus cauſa, curauit ſacerdotibus & miniſtris templi ſuas deſignari partes, atq; in horrea congeri, quæ de decimis & oblationibus

Neæmias ſacerdotes magni fecit. *Næemiæ 13.*

eis debebantur. Quemadmodum liber Næemiæ vltimo capite plenius refert. Is itaq; tanti fecit sacerdotes, vt in faciem restiterit ijs, qui partes oblationum illis diuino iussu decretas detinebant, atq; in suos vsus vendicabant.

4. Alexander magnus Iaddum sũmum sacerdotẽ magnifecit.

Quid Alexandrum magnũ memorem? qui infesto agmine animoq́; infenso vrbem Solymam petens, cum obuium sibi haberet Iaddum eo tempore summum Iudæorum sacerdotem pontificalibus indutum vestibus, & ornatissimo sacerdotum atq; leuitarum cætu comitatum, equo desilijt, pronus in terra Sacerdotẽ Magnum veneratus est, quin imò in ea Deum adorauit. Deinde placato animo Hierosolymitanum intrauit templum, & pro Regia magnificentia ibidem dona obtulit. Allatisq́; Danielis oraculis se ibidem signatum intellexit, qui Persarum vires deberet conterere, eoque regno potiri, quare

Vide Iosephum antiquitatis Iudaicæ lib: 11.

multis

multis priuilegijs, atq; immunitatibus totam Iudæorum gentem est prosecutus.

Deinde interiectis aliquot annis Ptolomeus Philadelphus Ægyptiorum Rex, Ptolomei Lagi filius, ab Eleazaro sacerdotum principe apud Iudęos septuaginta duos viros eruditissimos qui diuinam sibi legẽ in Græcum sermonem ex Hæbreo traducerent, ad se mitti petiuit, atq; impetrauit, ob quod plurima & maxima cum in ipsos interpretes, tum in Iudæos vniuersos beneficia contulit, quorum plurimos antè captiuos libertate donauit, vt scribit Iosephus antiquitatis Iudaicæ libro duodecimo.

5\. Ptolomę' Philadelphus sacerdotes magni fecit.

Præterea Attilla Rex Gotthorũ cum ex Pannonia in Italiam facta eruptione, Romam cum instructissimo peteret exercitu eam perditurus, Leo primus summus pontifex illi cum honesto Ecclesiasticorum virorum cœtu occurrit, admonuit-

6\. Attilla Rex Gotthorũ Leonẽ summũ Pontificem magni fecit.

que eum, ne in vrbem desæuiret, aut armorum rabie debaccharetur, alioqui iram Dei in se concitaret, *Alaric⁹* (quemadmodum Alaricus vnus ex superioribus Gotthorum Regibus, statim Dei iudicio post captam vrbem mortuus est) cuius monitis in cunctanter obtemperauit Attilla, nec vltra versus Romam progressus est. Quin etiam dum simul cum Pontifice loqueretur, cernere duos viros supra se visus est strictos tenentes gladios, ac mortem sibi minitantes nisi Pontifici pareret, quos Petrum & Paulum Apostolos fuisse putant in Leonis auxilium apparentes. Dimissoq; quod cœperat itinere, Attilla in Pannoniam reuersus est.

Insuper quo honore sacerdotalem ordinem prosecutus sit. Con-
7. Constátin⁹ magn⁹ S. Ambrosium magni fecit. stantinus ille magnus, quæ in præcedente capite dicta sunt, fidem faciunt. Quo itidem fuerit animo in Ambrosium sanctitate,

doctrina

doctrina & zelo Dei clarissimum, historia tripartita toto noni libri tricesimo capite dilucidè testatur.

8. Iouinianus Episcopos maximè S. Athan magni fecit.

Iouinianus item, impij Iuliani successor cum imperiū suscepisset, reuocandorum ab exilio Episcoporum (quos Constantinus Arrianus, & apostata Iulianus relegauerant) primam curam habuit. Quibus lata lege consuetudinem præbendorum frumentorum reddidit, quam constituerat Constantinus, & seruari prohibuerat Iulianus. Præsertim Athanasium Episcopum Alexandrinum, mille tempestatum procellis & persecutionum turbinibus exagitatum ab Arrianis in amicitiam & familiaritatem recepit, atque in Ægyptum remisit ad suam Ecclesiam moderandam, quæ diutius suo fuerat orbata & viduata pastore.

Ad hæc Auxentio Arrianorum præsule defuncto, qui Mediolanensem Episcopatum tenuerat, om-

9. Valentinianus Imperator Episcopos magni fecit.

nes Episcopos euocans Valentinianus imperator, admonuit eos ex diuinis eloquijs, id non stare, quòd esset eligendus Episcopus Ecclesiæ qui non verbo solùm, sed etiam boni operis exemplo subiectos gubernet, & semetipsum totius imitatorem virtutis ostendat, testemque doctrinæ conuersationem bonam habeat. Proinde talem in pontificali sede constituant, cui & Imperator Romanus rerum summam gerens, syncerè caput submittat, & eius monita, vbi tanquam homo deliquerit, veluti medicamenta animæ suscipiat. Cumq; tota synodus Imperatori suggereret, vt ipse magis decerneret quisnam Ecclesiæ esset præficiendus: & omnes in ea re suo starent arbitrio. Respondit Valentinianus, ad ipsos omnino hanc spectare electionem. Vt qui virtute & doctrina fulgentes melius norint, quisnam Ecclesię gubernandæ esset magis idoneus. Vbi au-

tem

tem paulò poſt accepit electum communi omnium conſenſu Ambroſium, illius loci præfectum ac præſidem, ei electionis tanquam diuinitus factæ mirum in modum congratulatus eſt, dicens. *Gratias ago tibi Domine omnipotens, & Saluator noſter, quoniam huic viro ego quidem commiſi corpora, tu autem animas, & meam electionem oſtendiſti iuſtitiæ conuenire.* Omitto dedita opera, ne ſim prolixior æquo, Gratianum, Theodoſium minorem, Arcadium, Honorium, Iuſtinianum, optimos Imperatores, qui omnes ſacerdotalem ordinem miro coluerunt honore, & ampliſſimis beneficijs exornarunt.

Ambroſius.

Vide tripartitā hiſtoriā lib. 7.

Neq; hac in parte, ſua laude fraudandi ſunt inclyti Francorum Reges, quibus peculiare id quondam fuit & conſuetudinarium, pericli- tanti Apoſtolicæ ſedi, & graui aduerſitatum mole laboranti ferre ſuppetias. Siquidem Carolus Mar- 10.

Reges Galliarũ maximè Carolus Martell' sedem Apostolicã magni fecit.

tellus à Gregorio tertio Romano Pontifice rogatus; vt illi contra Luithprandum regem Longobardorum, auxilium ferret, per legatos egit, vt is infesto agmine Romanã premens vrbem ab obsessione discesserit, & in gratiam cum pontifice redierit. Cuius filius Pipinus paternæ virtutis æmulus rogatu Stephani secundi summi pontificis exercitum in Italiam aduersus Aistulphum Longobardorum regem Ecclesiasticam ditionem vexantem bis duxit, ipsumq; restituendum quæcunq; Ecclesię abstulerat compulit.

11\. Carolus magnus sedem Apostolicã magni ecit.

Ab hac autem paterna virtute non degenerans Carolus magnus, Adriani primi summi pontificis aduersam sortem miseratus, à Desiderio Rege Longobardorum grauiter oppresso, cum validissimo exercitu in Italiam profectus est, & Desiderium bello superatum atq; captum cum vxore & filijs Leodiũ

relegauit.

relegauit. Leonem itidem tertium ſummum pontificem à ſeditioſis quibuſdam vrbe expulſum, idem in Italiam mota expeditione, in ſuam ſedem reſtituit, ſumpto de coniuratis ac ſeditionis authoribus ſupplicio.

Demum ad Ludouicum Iuniorē Ludouici Groſſi filium velut ſacerdotalis dignitatis patronū confugit fortiſſimus propugnator Eccleſiaſticæ libertatis Beatus Thomas Archiepiſcopus Canthuarienſis ſua ſede indignè deturbatus: & eodem ferè tempore Alexander tertius, ab improbis quibuſdam vrbe Italiaq; pulſus. Qui libenter Eccleſiæ patrocinium ſuſcipiens, vtrumq; eorum ſuæ ſedi cum ſumma authoritate reſtituit. 12. Ludouicus Iunior B. Thomam Archiepiſcopū Canhuarienſem magni fecit

Ex his itaq; conſtat, ſacerdotalē ordinem apud imperatores, & reges, plurimi ſemper exiſtimatum eſſe, cum ethnicos, tum veri Dei cultores, & hinc magnam illi digni-

tatem

tatem, ornatum atque ſplendorem accreuiſſe.

QVOD DEVS HONORARI ſacerdotes præceperit, & in illorum contemptores acerba punitione animaduerti.

CAPVT IIII.

Sacerdotes honorandos probatur ex ſcriptura.

NEc humana ſolum conſtitutione id ſancitũ eſt, aut obſeruatum, honorandos eſſe, & præcipua colendos reuerentia ſacerdotes, ſed & diuina, cum & antiqua & noua lege idipſum iuſſerit Deus. Siquidem Eccleſiaſticus id ſedulò faciendum ita admonet. *In tota anima tua time Deum & ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute dilige eum, qui fecit te, & miniſtros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes. Da illis partem ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis.*

1. Probatur *Eccl. 7.*

Ad hæc diſtrictè præcepit Deus honorandos eſſe parentes. *Honora*

(inquit)

(inquit) *patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Atqui sacerdotes nobis parentum loco habendi sunt, quòd patres sint nostri spirituales, & vitæ spiritualis consequendæ ministri, & à quibus maiora, quàm à parentibus secundum carnem beneficia accepimus. Quod his verbis contestatur Ioannes Chrysostomus. *In beneficiis* (inquit) *maior virtus sacerdotibus à Deo data est quàm carnalibus parentibus nostris. Tantumq; inter vtrumque differt, quantum inter vitam præsentem & futuram. Alteri quippe in hanc, alteri verò in illam generant. Et illi quidem nec corporalem possunt propellere mortem, nec incurrenti obsistere infirmitati. Hi verò laborantem animam, & iam iamq; perituram saluauerunt, frequenter alios de graui condemnatione liberantes, alios verò nec in leuem sinentes incidere. Nec verò hoc solum docendo ac monendo faciunt, sed etiam orationibus adiuuando, nec solùm quando nos regenerauerunt,*

2. Probatur *Exo:20.*

Chrys: lib. 3. dialog: de dignitate sacerdotali.

runt, ſed etiam deinceps poteſtatem habent indulgendi peccata. Et reliqua, quæ in idem propoſitum continuè proſequitur, & præclarè deducit. Idem quoque paulò ante de ſacerdotibus loquens, ait. *Quomodo ergo nobis iſti non ſolùm reuerendi magis, quàm aut reges aut iudices, ſed etiam magis erunt honorabiles quàm parentes? illi quippe nos ex carnis & ſanguinis voluptate genuerunt. Hi verò nobis ſunt demum regenerationis authores & ſanctæ illius qua reformamur libertatis veræque adoptationis filiorum.*

3. Probatur Hæc Chryſoſtomus. Proinde ſicut filius contumax & in parentes

Deuter. 21. rebellis, in Deuteronomio iubetur interfici, ita & nolens obedire ſacerdotis imperio & ſuperbè illi reſiſtens, præcipitur à domino morte mulctari, vt paulò ante ex Deu-

Deuter 17. teronomio eſt adductum teſtimonium. Vt ex conſimili ratione pœnæ præuaricatoribus infligendæ, intelligamus haud non diſſimilem o-

bligatio-

bligationem esse honorandi sacerdotes & colendi parentes.

Præterea beatus Paulus ad Timotheum scribens ait. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Duplici honore inquã, spiritualis obedientiæ, & subministrationis rerum exteriorum. Quod ex beato Augustino protinus innotescit, hunc locum ita exponente. *Boni dispensatores & fideles, non solùm honore sublimi præueniri debent, sed & terreno, vt non contristentur indigentia sumptuum, & gaudeant obedientia spiritualium.* 4. Probatur I. *Tim*: 5. *August*:

Porrò conuincitur idem nostrũ propositum ex graui punitione à Deo, & hominibus inflicta ijs qui in sacerdotes ausu sacrilego insurgere tentarunt, aut illorum officium insolenter vsurpare vltra suam sortẽ. Siquidẽ Dathan & Abiron in Moysen & Aaron sacerdotes domini seditionem excitantes, ac ambientes Sacerdotumcon tẽptores punitos probatur ex scriptura. I. Probatur

sacerdo-

Nu: 16. sacerdotium (quo erant indigni) diuino decreto ipsi Aaron designatum, subitò terræ hiatu viui absorpti sunt, eorumque complices in Moysen & Aaron deinde obmurmurare ausos & commotionē suscitare, vltrix flamma consumpsit, quam Dei immiserat ira. Quid autē mereantur horum exemplo, sacerdotum domini contemptores, audiatur Chrysostomus dicens. *Qui noui testamenti sacerdotes despiciunt, magis mihi rei quàm Dathan & Abiron videntur digniq́ maiori suplicio. Quoniam & illi etsi indebitum honorem vsurpare voluerunt, tamen magnam habuerunt ministerij ipsius æstimationem, cuius se velle fieri participes vel temeritate docuerunt. Hi verò quanto huic officio multum honoris accessit, & in gloriam promouit altissimam, tanto ex aduerso quàm Dathan & Abiron atq; ausu maiore delinquunt. Neque enim æquale peccatum est indebitum honorem velle peruadere, & quod tam magnum est*

Chrys: lib. 3. dial: de dignitate sacerdotali.

audere

audere despicere, sed tantò grauius est istud illo, quantum distat inter ambitum & despectum. Hæc ille.

Ad hęc Maria soror Moysis quoniam mitissimum fratrem & sacerdotali insignem honore lacessiuit iniurijs, iram Dei in se prouocauit, lepraque percussa est. Ob quod septem diebus separata extra castra demum precibus fratris sui, bonum pro malo reddentis, est sanitati restituta. Ecce quomodo vindex est Deus in eos, qui sacerdotibus iniurij sunt, aut grauem inferunt molestiam. De quibus per prophetam dicit, *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Et rursum alio loco. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Insuper Saul rex Israël temerario ausu victimas immolauit domino, sacerdotis opus sibi impudenter arrogans, neque expectauit Samuelem iuxta condictum, cuius munus erat sacrificia Deo offerre. At quàm

2. Probatur *Nũ*: 12.

Psal: 40.

Zach: 2.

3. Probatur *1. Reg*: 13.

ingrata

ingrata fuit Deo hæc alieni iuris & sacrificii offerendi vsurpatio, ostendunt hæc verba Samuelis ad Saul *Stultè* (inquit) *egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset dominus regnum tuum super Israël in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltra consurget.* Quibus

4. Par: 16. sanè verbis prædicitur ipsi Saul deiectio à regno, ob insolentem hanc præsumptionem qua sacerdotalem sibi functionem vendicauit.

4. Probatur A Rege Ozia.

Haud dissimiliter Ozias rex Iuda obmultas res prosperè & præclarè gestas eleuatus in superbiam eò deuenit insolentiæ, vt ingressus templum Domini adolere tentauerit incensum super altare thymiamatis, nec audire voluit monita Azariæ sacerdos, hæc illi suggerentis. *Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum domini, sed sacerdotum, id est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hoc ministerium. Egredere de sanctuario*

ne con-

ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à domino Deo tuo. Verùm iracundia concitatus Ozias, & tenens manu thuribulum, comminabatur ſacerdotibus recta monentibus. Ob quod ſubitò apparuit lepra oborta in fronte eius, & continuò egreſſus eſt de templo, præſentiens manum Domini. Et ne humana quidem habitatione aut ſocietate dignus eſt habitus deinceps, qui diuina miniſteria arroganter ſibi voluit vſurpare, ambulareque in magnis ac mirabilibus ſuper ſe.

Demum cum inſtigatione Menelai viri nefarij & ambientis ſacerdotium, Andronicus regis præfectus, Oniam optimum pontificem Iudæorum dolo interemiſſet, non ſolum Iudæi, ſed aliæ quoque nationes indignatæ ſunt, moleſtè ferentes tanti viri necem iniuſtam. Quam cum ex aliorum querimoniis Antiochus rex audiſſet, valde contriſtatus eſt animo, flexuſque 5. Probatur 2. *Mac*: 4.

ad misericordiam lachrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem & modestiam. Accensusque animo Andronicum purpura exutum, per totam ciuitatem iubet circumduci, & in eodem loco in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegū vita priuari, Domino illi condignā retribuente pœnam. Magnus itaq; debetur honor sacerdotibus, in quos nefarias extendentes manus, aut eorum officia peruadentes, vindicem Dei dextram non effugiunt.

Conclusio.

QVOD MAGNA EST SACERdotum dignitas ob potestatem consecrandi verum Christi corpus, ipsis à Deo traditam.

CAPVT V.

OMnium autem maximè eminet dignitas sacerdotalis in sublimitate functionis illius & officii, quo verum Christi corpus in altaris ministerio consecrant & sanguinem, panemq;

saluifi-

ſaluificum, & calicem benedictionis offerunt Deo pro totius mundi ſalute ſacerdotes. Ea quippe poteſtas neque regio diademate inſignitis, neque imperiali adornatis corona, indulta eſt, ſed neque angelicis ſpiritibus & ſubſtantiis illis ſupercœleſtibus longè ſupra hominē naturæ perfectione collocatis, & indiſſeparabiliter Deo affixis. Quin imò nec Sacroſanctæ Virgini Mariæ, quæ excedit omnes mortales & gratiarum affluentia & glorię celſitudine & ſublimitate, id traditum eſt munus. Quamuis alia permulta dona illi elargita ſit diuina bonitas, hoc ſacerdotali miniſterio longè auguſtiora. Vt quòd Spiritu Sancto fœcūdata Chriſtum caſtis ſit complexa viſceribus verum Deum & hominem, illæſaq; virginitate ſalutiferum toti mundo fructum ediderit. Hoc etenim ſingulare priuilegium quo Dei mater effulget, & virgo intacta omnem tranſcendit

Sacerdotalis dignitas ſuperat Regiam.

B. V. M. quomodo inferior & quomodo ſuperior ſacerdotibus.

sacerdotalis sanctionis nobilitatem atq; præstantiam. Nihilo minùs illi Deiparæ virgini non permissa est potestas offerendi sacrificium istud viuificum, neq; altaris ministerium exercendi, quòd sui sexus conditio illi repugnet, quæ tamen sacerdotibus presertim noue legis est tradita.

Chrys: lib 3. dial: de dignitate sacerdotali.

Porro hāc dignitatis rationem sacer Chrysostomus mirificè extollit, his verbis S. Basilium compellens. *Sacerdotij autem de quo loquimur aspice dignitatem. Agitur quidem in terra, sed officium eius cœlestibus negotijs continetur.* Et quidem consequēter. *Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, neq; aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus hoc munus instituit, atq; adhuc manentes in carne, ministerio præstitit Angelorum fungi. Propter quod oportet Pontificem quasi qui in ipso constat cœlo illisq; virtutibus misceatur, ita splendore vitæ esse radiatum.* Deinde paulò post ait. *Cùm immolatum Dominum nostrum &*

incenso

incenso astantem videris sacerdotem, atque imprecantem, omnesq; pariter precioso imbui sanguine, adhuc te esse cum hominibus arbitraris? Et non continuò translatus in cœlos, omnemq; de mente sensum carnis excludens, nuda anima sensuq; mundissimo inter ea, quæ sunt in cœlestibus constitueris? O miraculum (inquit) *ô Dei in nobis beneuolentia. Qui sursum sedet ad dexteram patris, sacrificij tamen tempore hominum manibus continetur, traditurq; lambere cupientibus eum, & cum veneratione complecti, fitq; hoc totum sub oculis humanis.* Hæc ille.

Porro cùm Aaron octauo post suam consecrationem die, hostias immolaret secundum diuinæ sanctionis ritum, & præparatas altari superposuisset, apparuit gloria Domini omni multitudini, & ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum & adipes, qui erant super altare. Quod cùm vidissent turbæ laudauerunt Dominum, ru-

Leuit. 9. Probatur sacerdotalis dignitas.

2. *Para*: 7. entes in facies ſuas. In dedicatione quoq; magnifici templi per Salomonem Deo extructi, cum ipſe ſuam orationem ad Deum compleſſet, ignis deſcendit de cœlo, & deuorauit holocauſta & victimas, & maieſtas Domini impleuit domū. Sed & omnes filij Iſráël videbant deſcendentem ignem & gloriā Domini ſuper domum, & corruentes proni in terram ſuper pauimentū ſtratum lapide, adorauerunt & laudauerunt Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Denique cum Helias Tesbites propheta ſuperpoſito altari ſacrificio oraſſet Deum intenti- 3. *Reg*: 8. us, vt ſigno viſibili ſe verum toti populo Deum declararet ad ipſius conuerſionē & ſalutem cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum & ligna & lapides, puluerē quoque, & aquam quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, &

ait, Do-

ait, Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. *Admiranda nempè hæc* (inquit Chrysostomus) *& totius plena stuporis. Sed transi ex istis ad ea, quæ nunc aguntur, & non solum miranda ea, sed omnem stuporem transcendentia videbis. Stat quippè sacerdos nō ignem per orationem educens, sed spiritū sanctū diu orationi incūbens, non vt illa desuper accensa lāpas cōsumat apposita, sed vt aduolans gratia spiritus sancti sacrificio, per ipsum cunctorum mentes accendat, & splendidiores reddat argēto per ignē probato.* Hæc ille. *Chryso*:

Quid quod non modo Spiritus sanctus, sed & cœlestia agmina assistunt sacerdoti sacra facienti, dominumq; suum, & omnium officioso circumstent obsequio atq; adorent. Quod ita astruit Gregorius. *Quis fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri? In illo* Iesv *Christi mysterio Angelorum choros adesse, summa & ima sociari, vnumq; ex*

Angeli assistunt sacerdoti celebrāti.

Gregor: in Hom: paschali

inuisibilibus atq; visibilibus fieri? Et rursum. *Vno* (inquit) *eodemq; tempore ac momento in cœlum rapitur panis, ministerio Angelorum corpori Christi sociandus, & ante oculos sacerdotis in altari videtur.*

Chryso: lib. 6. de dignitate sacerdotali. Idem quoque comprobat Chrysostomus. *Tunc* (inquit) *tempore scilicet oblationis sacrificij super altare, etiam Angeli circumstant sacerdotem, & tribunal atque altaris locus cœlestibus virtutibus adimpletur, in honorem illius qui immolatur. Quod quidem ex ipsis, quæ aguntur ostenditur. Ego autem* (ait) *audiui referente aliquo, quod presbyter quidam vitæ sanctitate mirabilis, & qui reuelationes soleret videre retulisset illi tale spectaculum. Se aliquando vidisse, id est, sacrificij tempore conspexisse. Angelorum multitudinē (sicut ei possibile erat intueri) stolis fulgentibus circundantem, & altare coronantem cum officio quo circa regem suum milites stare consueuerunt. Quod mihi facilè persuasum est. Alter verò* (inquit)

Visiones miraculosæ.

1. Visio.

2.

mihi

mihi retulit, non ab alio se audiſſe dicēs, ſed quod ipſe vidiſſet, quoniam de ſeculo hoc recedentes, qui partiipes myſteriorum illorum in conſcientia munda fuerint cum efflauerint vltimum ſpiritum, ſubuehi eos alacres manibus Angelorū.

Conſtat etiam ex ſequentibus, multò auguſtiorem ſacerdotum nouæ legis, quàm veteris eſſe dignitatem. Leuitici enim generis ſacerdotes tabernaculo deſeruientes, pecora tantum immolabāt, agnos, oues, hircos, capras, arietes, tauros, & auiculas, illorumque ſanguinem multiformi ritu fundebant per altaris crepidinem, quorum oblatione nec ipſi ſanctificabantur interius, nec in alios ſanctificationis gratiam transfundebant. Nouæ verò legis ſacerdotes ſecundum ritum Melchiſedech initiati, panem & vinum offerunt domino, panem inquam ſupercæleſtem, quod verùm eſt Chriſti corpus, & vinum ſanctificationis, qui verus eſt Chri-

Probatur ſacerdotū dignitatē nouæ legis ſuperare veteris.

ſti ſanguis effuſus in ara crucis, cum immolatus eſt verus agnus, qui abſtulit peccata mundi. Qui & quotidie offertur in altari, ad illius vnicæ oblationis memoriam atque repræſentationem.

Admonitio ad humilitatē.

Hinc non inſoleſcant ſacerdotes neque intumeſcant animo, cum tantum audiunt prædicari ſuam dignitatem adeóque ſublimem, ſed in ſpiritus humilitate gratias agant Deo bonorum omnium largitori: qui dedit talem poteſtatem hominibus, quod eos tanto dignatus ſit honore, & ad tam arduum opus aſciuerit, innitenturque impenſius, vt pro tanti officii dignitate rectè viuant, nec acceptā adminiſtrationē ſordidæ vitę contaminent inquinamentis.

QVANTÆ VIRTVTIS ET EFficaciæ ſit ſacratiſſima hoſtia, quæ per nouæ legis ſacerdotes in altaris ſacrificio offertur.

CAPVT

CAPVT VI.

EXploratior insuper erit & perspectior sacerdotalis ordinis dignitas, quantum attinet ad offerendi munus & sacrificandi, si cognita fuerit apertius excellentia & nobilitas ipsius singularis & salutaris hostiæ, cuius faciunt oblationem sacerdotes, quam collatione eius ad hostias veteris legis facta, haud difficile erit colligere? Enimuerò multiplices leguntur in Leuitico fuisse institutas hostias diuersas sortitas denominationes, pro diuersitate rationum, ob quas offerebantur. Aliæ namq; pro peccato dicebantur offerri, quæ in perpetrati peccati expurgationem & satisfactionem fiebant, aliæ pacificorum dicebantur hostiæ (quæ salutaria sacrificia appellat Origenes in Leuiticum) immolari solitæ aut in postulationem accipiendi beneficii, aut in gratiarũ

Leuit. 3. Varietas hostiarũ in veteri testamẽto. 1. Hostia propitiatoria. 2. Hostia pacificorum. *Leui: 3. Leu: 26.*

actionem pro beneficio iam accepto. Erat & hostia expiationis, pro totius populi propitiatione, semel quotannis offerri solita, cum sacerdos magnus sanguinem hirci pro peccato populi oblati intulit in sancta sanctorum coram propitiatorio. Præterea & holocaustū hostia erat Hæbreorum, quæ tota concremebatur Domino in altari. Iuge verò sacrificium, alterius erat generis hostia, quæ quotidie bis sine intermissione offerebatur, & mane scilicet & vesperi. Fuerunt & alia multa sacrificiorum genera apud Israeliticum populum in vsu, quæ & prolixum foret enumerare, & in Leuitico habentur exactè digesta.

3. Hostia expiationis

4. Hostia holocausti.

At verò hæc vnica noui testamēti hostia, omnium istarum est consummatio & veritas: quoniam ipsa cæterarum immolationi finem imposuit, & omnium earum exemplare est absolutū atq; archetypus. Proinde ipsa vnicè & collectim in

Hostia nouæ legis superat omnia enumerata.

se con-

ſe continet atque complectitur, quicquid virtutis & efficaciæ habent ſparſim & ſigillatim omnes hæ multiformes veteris legis hoſtiæ. Eſt enim ipſa hoſtia pro peccato, quoniam verus eſt Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Eſt & hoſtia pacificorum, quoniam nos Deo pacificat, reconciliat, & placat, efficaciſſima quidem ad impetrandum quæcunque libet à Deo expoſcere, & ad agendas Deo gratias de ſuſceptis bonis maximè conueniens.

Probatur eminentia huius hoſtiæ per ordinem.

Ad hæc, eadem eſt expiationis hoſtia, & oblata Deo in propitiationem pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Certè precioſus huius hoſtiæ ſanguis illatus eſt in ſancta ſanctorum, ſcilicet in cœlum, per ſummum Pontificem noſtrum Chriſtum & paternæ maieſtati oblatus in peccatorum noſtrorum expiationem, & totius mundi reconciliationem. Rurſum ipſa

Heb: 9

est holocaustum, quoniam tota igne charitatis feruentissimo in ira
Ioã: 20 viuificæ crucis est suspensa. *Maiorem* (inquit) *hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quod si animam suam pro amicis suis ponere, eximiæ charitatis est argumentum, nonné ardentioris amoris indicium est, animam suam ponere pro inimicis suis? Hoc autem Christus nobis exhibuit, quoniam cum inimici essemus, pro nobis mortuus est. Demum
Rom: 5. eadem hostia iugè est sacrificium, quoniam iugiter & sine intermissione ad consummationem vsque seculi offeretur: vt prius ostensum est.
I. Cor. I. *Quotiescunque enim* (ait Paulus) *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, ad iudicium scilicet, in finem mundi. Non igitur ante cessabit hęc oblatio, quę est preciosę mortis Christi semel exhibitæ quotidiana annunciatio atque expressio.

Verum vt diuerſa creaturarum genera multiformibus ſuis perfectionibus non poſſunt attingere, neq; ex æquo referre totam Dei perfectionem, quam tamen omnia & ſingula pro ſuo modulo & ratione exprimunt, & vtcunque depingunt, ideo quod diuina perfectio, immēſa ſit & abſoluta: Ita hæc hoſtiarū veteris legis multiformitas atq; varietas nequaquam poteſt aſſequi aut æquare virtutem & efficaciam iſtius vnius hodie, quam tamen ſingulę quoquo pacto effingunt & depingunt, quod eius ſpiritualis energia, vis atq; potentia, nullo poſſit limite claudi, nulla concludi meta, nullis finibus comprehendi. Quicquid igitur commendatione dignū, admirandum aut laudabile in quauis hoſtia veteris inſtituti inueneris, id omne ſine hæſitatione eminentius atq; excellentius in hac exemplari & archetypa emicat hoſtia. Et longè amplius, quām tota A pari.

hostiarum antiquæ legis numerositas in se continet, ambit atq; comprehendit.

Hostia & Sacerdos Christus idem.

Quodq́; his maius est, hęc eadem salutaris hostia & summa, ipsi summo & primo sacerdoti coincidit, estq́; idem sacerdos & hostia, quod seipsum in cruce pro nobis Deo patri obtulerit. Et supremus quidem sacerdos & suprema hostia, & primus dignitate sacerdos & prima hostia. Atqui in tota veteris testamēti serie, nequaquam est inuenire, hostiam ipsi sacerdoti coincidentē. Alius namq; semper est, qui offert hostiam, & alia est hostia, quæ offertur. Nisi fortasse ipsum Isaac excipias, qui sponte seipsum promptoq́; animo obtulit, atq; exhibuit paternæ voluntati. Verùm id factū est, vt præcurreret huius admirandę rei figura, & ab ipso Abraham factū est illius oblationis mysterium. Sed neq; in toto sacerdotum noui testamenti catalogo alium quempiā

Gen: 22. Isaac figura fuit huius hostiæ & sacerdotis Christi.

assignare

aſſignare poteris, qui ſimul ſacerdos fuerit & hoſtia, ſeipſumq́; Deo in verum obtulerit ſacrificium, & ſi ſpiritualiter quiſq; ſeſe Deo offerre poſſit hoſtiam viuentem, ſanctam, & beneplacentem, quantùm ad obſequium, & bonorum operum exhibitionem, vt planè intelligamus hanc ſacerdotis & hoſtiæ coincidétiã atq; concurſum in eo ſolo comperiri, qui in vtroq; primatum tenet, ſummumq́; dignitatis faſtigiũ & culmen.

His accedit & aliud ſacerdotum veteris legis miniſterium, ferendi videlicet arcam Domini, quæ ex lignis Sethim imputribilibus erat compacta, intus & foris auro puriſſimo veſtita. Et continens ſuo ſinu tabulas legis Moſaicæ, virgam Aaron quæ fronduerat, & vrnam auream manna continentem. Neq; cuiquam licitum erat arcam illam vmbratilem & figuralem deferre, niſi qui ex Leuitico genere fungere-

Differentia hoſtię in veteri & noua lege à ferendo.

Exo: 25.

Heb: 9.

tur ſa-

tur ſacerdotio. At nouæ legis ſacerdotes deferunt hanc ſalutiferam arcam, aut in ſolenni & publica totius populi ſupplicatione, aut ad infirmos, & limina templi accedere non valentes, eo ſalutari antidoto muniendos. Neq; cuiquam alteri fas eſt id ſibi miniſterij vendicare.

Hoſtia nouæ legis verè Arca dicitur.

Neq; abs re arcam eam appellauerim ſpiritualem & myſticam, quæ verum Chriſti corpus continet, nulla peccati contagione, aut putrefactione vnquam cõtaminatum, quæ mirum charitatis ardorẽ & virtutum omnium ornamentũ præfert. quæ denique verum legislatorem Regia poteſtate inſignem, & ſynceram ipſius humanitatem incredibili diuinitatis dulcedine refertã verè integreq́; complectitur.

Hęc certè eſt arca ſanctificationis, in qua omnis ſanctimonia exundat, & Sanctus Sanctorum conſiſtit, hęc itidem arca teſtamenti eſt, ſed noui, non veteris, hæc etiam

arca eſt

arca eſt fœderis perpetui inter Deũ & hominem, hæc denique arca eſt viua & animata, in qua omnis eſt plenitudo gratiæ: quæ interitum non eſt paſſura, vt arca Moſaica, ſed permanet in æternum.

Multum igitur dignitatis accedit ſacerdotalem functionem gerentibus, quod hanc tantam, & talem immolare hoſtiam, hanc quoq; ſingularem deferre arcam ex ſanctione eccleſiaſtica poſſint, quod alijs omnibus negatum eſſe conſtat. Recollectio totius capitis.

EX POTESTATE LIGANDI & ſoluendi ſacerdotibus indulta, adminiſtrandorumque ſacramentorum, magnam ipſorum conuinci dignitatem.

CAPVT VII.

NEC minus ſacerdotalis dignitatis eſt argumentum, quod illi eſt conceſſa Magna ſacerdotum poteſtas & dignitas

cessa potestas ligandi & soluendi super terram, non corpora hominum, sed animas, quodque huiusmodi sententia diuinæ maiestatis consistorio atque prætorio approbatur. Per hanc siquidem administrationem, & animæ peccatis mortuæ reuocantur ad vitam, & gehennæ filij fiunt filij regni, & homines implicati laqueis soluuntur ab hisce vinculis, & libertati restituuntur. Sanè nec Reges nec Principes terræ æquam habent huic potestati virtutem, sed neq; Angelis cælestibus collata est hæc facultas, qua soluant aut ligent homines in terra.

Probatur S. Chrysostomi authoritate dignitas sacerdotalis.

Quod & ipsius Chrysostomi testimonio clarius innotescit ita in tertio libro dialogorum de dignitate sacerdotali cum Basilio dissentis. *Sacerdotes* (inquit) *qui terram incolunt atque in ea conuersantur cælestia dispensare meruerunt, & potestatem acceperunt, quam neque Angelis neque Archangelis dedit Deus. Neque e-*

nim ad

nim ad illos dictum est: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; Et quæcunque solueritis erunt soluta. Habent quidem & mundi principes vinciendi aliquam potestatem, sed in solis corporibus. Hoc autem vinculum quod sacerdotibus est commissum, ipsam contingit animam, transitque cœlos. Vt ea quæ operati fuerint sacerdotes deorsum, etiam Deus confirmet in cœlis, sententiamq; seruorum dominus ipse corroboret. Quid ergo reliqui est, si omnis eis commissa est potestas cœlorum? Quorumcunque enim dimiseritis peccata, dimittentur, & quorumcunque tenueritis, tenebuntur. Quæ potest inueniri maior potestas? Omne iudicium dedit Pater Filio. Ad hoc video à Filio totũ sacerdotibus esse commissum. Ac sicut iã translati in cœlum, & humanam transcendentes naturam, atque à nostris infirmitatibus liberati in tantum inuecti sunt principatum.

Mat. 18.

Ioã: 10.

Ioan: 5.

Deinde sensibili exemplo manuducit nos Chrysostomus ad intelligendam

Chryso:

gendam

gendam huius poteſtatis ſublimitatem. *Nam ſi Imperator* (inquit) *alicui ſubditorum honorem impertiatur eiusmodi, vt quos voluerit in vincula contrudat, laxetque quos voluerit, dignus inuidia & conſpicuus ab omnibus æſtimatur. Hic qui à Deo accepit, tantò maiorem his, quæ diximus poteſtatem: quantò eſt cœlum quàm terra precioſius, & quanto precioſior eſt anima quàm corpus, ita ne modico affectus honore credetur, vt aliqui etiam ſuſpicentur poſſe hanc artem ab illis quibus fuerat commiſſa contemni? Procul, procul fiat talis inſania.*

Ex quo rectè colligit idem ſacer author eminentiam ſacerdotũ noui teſtamenti ſuper eos, qui in veteri lege fungebantur eo officio, cum ait: *Et quidem ſacerdotes in veteri teſtamento habebant poteſtatem curandi corporis lepram, immo non curandi, ſed oſtendendi tantum eos, quos conſtabat eſſe mundatos, & cognoſcere, quantus ibi imminebat dolor. At hi non corporis*

Idem.

lepram,

lepram, sed immunditiam mentium, non ex parte probandi, sed omnimodam mundandi obtinent potestatem. Hæc ille. Leu: 14.

Nec solum reconciliationis sacramentum præstatur hominibus ministerio sacerdotum, sed & regenerationis sanctæ lauacrum, & sanctum Eucharistię mysterium & nuptialis fœderis benedictio, & vnctionis extremæ illinimentũ. Quæ omnia magnam conferunt salutem hominibus & sacerdotali duntaxat officio communicari possunt, vt constituisse videatur Deus sacerdotes, tanquam spiritualium antidotorum (quæ in medicamentum ægrotantis animæ sanxit & dereliquit in terra) dispensatores atque ministros. Quod & Chrysostomus his contestatur verbis. *Neque aliud quàm furor vocandus est contemnere illud mysterium, sine quo nobis nec salus, nec ea, quæ sunt promissa bona reddentur. Nemo enim valebit ingredi in regnum cœlorum, nisi ex aqua renatus & spiritu. Et*

Sacramẽtorum administratio magnã conciliat sacerdotib[9] authoritatem & potestatem.

Chrysost.

Ioan. 3.

qui non

Ioan: 6. *qui non manducat carnem Domini, nec bibit eius sanguinem, non habebit vitam æternam. Quæ per nullius alterius ministerium, quàm sanctis efficiuntur manibus sacerdotum. Nec gehennæ vtique ignem vitare, nec promissarum remuneratione potiri, nisi per illorum valemus officium. Isti enim sunt, qui nos spirituali affectione parturiunt, & regeneratione baptismatis exequuntur. Per ipsos Christum induimus, & per ipsos coniungimur Dei filio, per ipsos membra beati illius capitis efficimur.*

Sacerdotes oratione populum adiuuāt. Iacob: 5.

Quod insuper orationibus suis plurimum nobis opitulari valent sacerdotes, & præsidium salutis afferre, idem ostendit ex sententia beati Iacobi dicentis: *Infirmatur aliquis ex vobis, adducat presbyteros Ecclesiæ & orabunt pro eo vngentes eum oleo, & oratio fidei infirmum sanabit, & suscitabit eum dominus, si & in peccatis est, dimittentur ei.*

Denique quod orationum suarum instantia nos efficatius adiuuare pos-

re poſſunt ſacerdotes , quàm filij ſuos parentes ſecundum carnem, his deinde verbis aſtruit. *Parentes etiam naturales ſi aliquas ſeculi poteſtates offenderint, filijs eorum nihil poterunt prodeſſe. Sacerdotes verò non ſolum potentes & Reges, ſed etiam ipſum Deum frequenter iratum ſua interceſſione nobis conciliant.* Hæc ille. Neque id ſanè præter officium faciunt, vt qui inter Deum homines conſtituti ſint mediatores, vt & homines ad Deum ſubuehant per ſacrorum myſteriorum participationem atq; communicationem, nec non per internam ſacræ & ſalutaris doctrinæ trãſfuſione factam illuminationem, vt etiam Deum ad homines inclinent atque deducant per beneuolã condeſcenſionem, placationem atque reconciliationem, pijs precibus impetratam. Quod quidem ſacerdotum munus & officium, orandi inquam pro toto populo ad diuinam miſericordiam impetrandam, Iohel

Chryſoſt.

Sacerdotes inter Deum & homines mediatores eſſe, probatur multis modis.

Iohel. 1.

Pro-

Propheta ſic inſinuat. *Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis, vbi eſt Deus eorum?* Et in ſacra Machabæorum hiſtoria, cum Hebræi ab aduerſarijs, multis premerentur aduerſis caſibus, id inter cætera annotatum eſt, quod orationem faciebant omnes ſacerdotes dũ conſummaretur ſacrificium, Ionata inchoante, cæteris autem reſpondentibus. *Domine Deus omnium creator, terribilis & fortis, iuſtus & miſericors, qui ſolus es bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus iuſtus, omnipotens & æternus, qui liberas Iſràél de omni malo, qui feciſti patres electos & ſanctificaſti eos, accipe ſacrificium pro vniuerſo populo tuo Iſràél, & cuſtodi partem tuam & ſanctifica.* Ad hæc. In tribulatione Iudęorũ graui quam intulit Holofernes numeroſo inſtructus exercitu, omnibus exterminiũ

Iohel. 2.

2. Probatur

2. Mach. 1.

3. Probatur

Iud: 4.

mini-

minitans, induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerũt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio. Et clamauerunt ad Dominum Deum Israël vnanimiter, ne darentur in prędam infantes eorum, & vxores eorum in diuisionem, & ciuitates eorum in exterminiũ, & sancta eorum in pollutionem, & fierent in opprobrium gentibus: & exaudita est oratio eorum.

Demum sacerdotes ipsos sua oratione sæpius iram Dei placasse, in totum populum infensi variis Testamenti veteris exemplis planum nobis redditur. Enimuero postridie quàm Chore, Dathan & Abiron dehiscente terra sunt absorpti, oborta est seditio populi, increuitque tumultus contra Moysen & Aaron quorundam improperantium illis, quòd interfecissent populum domini, coactique sunt vterque ad declinandum furorem populi, confu- 4. Probatur *Nũ: 16.*

gere in tabernaculũ fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes tabernaculum & apparuit gloria Domini. Dixitque Dominus ad Moysen, *recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos.* Cumq; iacerent ambo in terra, orantes pro
Nũ: 16. populo ad Deum placandum dixit Moyses ad Aaron: *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum vt ores pro eis. Iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit.* Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos & viuentes, pro populo deprecatus est: et plaga cessauit.

5. Probatur Rursum cum fecisset sibi populus in deserto vitulum conflatilem, & adorasset eum litatis hostiis atq; sacrificiis, dixit Dominus ad Moy-
Exo: 23. sen. *Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit. Dimitte me vt irascatur furor*

meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna & in manu robusta? Ne quæso dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus & deleret è terra. Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum, quibus iurasti per temeipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & vniuersam terram hanc de qua locutus sum dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. Placatusqué est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum. Gen: 16.

Sed & alio tempore cum clamaret aduersum Moysen vniuersa multitudo, exterrita voce exploratorum, qui missi fuerant ad contemplandam terram illis repromissam, & reuersi conterruerunt 6. Probatur

cor populi, incutientes illi pauo-
Nũ: 14 rem, vanamq́ue formidinem, lapidibusq́ue Moysen vellet opprimere, concitatus furore Dominus comminatus est, quòd totum populum feriret pestilentia, atque consumeret. Moysi tamen precibus placatus, manum à plaga continuit.

7. Sed nonne verus ipse summusq;
Probatur Luc: 23. sacerdos, in die oblationis suæ orauit patrem suum dicens. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, & exauditus est à Domino.* Nam omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur, iam pænitudine ducti, quòd in mortem ipsius consenserant. Et nunc quoque assiduè apparet vultui Dei, & postulat
Heb: 9. iugiter pro nobis.

SA-

SACERDOTEM OMNEM SCIentia rerum ſacrarum ornatum eſſe debere, & ſalutari doctrina ad ſui miniſterij functionem.

CAPVT VIII.

CÆterum non poterit ritè id ligandi ſoluendiq́; miniſterium exequi & exercere ſacerdos, niſi diſcernendi habeat ſcientiam, qua rectè diiudicet inter lepram & lepram, inter eam ſcilicet quæ magis eſt exitialis, & quæ minus exitij infert animæ, ac inter varia mortiferorum criminum genera. Non valebit item rectè ſacerdos alios docere viam Domini & veritatis luce probè illuminare, niſi ſacras calleat literas, diuinorumq́; myſteriorum habeat peritiam, atq; ſacrorum eloquiorum intelligentiam. Quocirca primum ſacerdotis ornamentum, quo refulgere debet, eſt ſcientia rerum ſacrarum, & eorum quæ ad ſuum ſpe-

Scientia neceſſaria eſt ſacerdoti.

Mat. 15 ctant officium notitia. Qua si prorsus careat, quomodo rectus aliorũ duxerit in via Domini? *Nonne si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foueam cadunt?*

Sacerdotes Ægyptiorum docti.

Certè ethnicorum & gentilium sacerdotes, leguntur insigni doctrina supra cæteros suæ nationis semper effloruisse. Apud Ægyptios fuit adeò illustris & celebris sacerdotum in toto orbe sapientia, vt Lycurgus Lacedæmonius, Pythagoras Samius, Plato Atheniensis, Democritus Abderites, & ferè Græci omnes, qui singulari claruerunt doctrina, in Ægyptum ad sacerdotes profecti sint, vt morum instituta & disciplinam illorũ perciperent.

Chaldæorum sacerdotes periti.

Sic apud Babylonios Chaldæi eorum sacerdotes, illum locum in sua Republica, quem Ægyptiorũ sacerdotes quondam habuêre. Ad cultum enim deorum (vt Diodorus Siculus author est) deputati, per omnem vitam Philosophari sole-

bant.

bant. Astrologiæ, (quod omnes concedunt) vltra cæteros peritissimi habebantur, cum in ea diutius versati sint, & eorum, quæ ad sacra pertinent, scientissimi. Apud Persas Magi illorum Sacerdotes maximo in pretio fuêre, & id nomen à magnitudine scientiæ sunt assecuti. Ab illis autem profluxerunt Indorum Gymnosophistæ, qui ab omni opere immunes soli rerum contemplationi & sapientię fuerunt intenti, & sacrificiorum dijs offerendorum curam habuerunt. Nonnullos eorum Alexander magnus interrogasse legitur, authore Plutarcho in eius vita, & singularem eorum prudentiam admiratus, multis donatos muneribus à se dimisit. Adhæc apud Græcos sacerdotium ferè Philosophiæ coniunctum fuit, & sacerdotes ibidem aut Philosophi fuerunt, aut sapientiæ studio intenti.

Persarum sacerdotes scientes.

Gymnosophistæ.

Græcorũ sacerdotes sapientes.

Denique apud Gallos Druyde

Druyde rerũ di-

uinarum interpretes.

haud longe à Carnutibus ſedes ſortiti, ſacerdotes habebantur antequã ſupernæ lux veritatis illis terris irradiaret, & rerum omnium peritiſſimi. Qui vt refert Cæſar libro ſexto commentariorum de bello Gallico, rebus diuinis intereſſe, ſacrificia publica ac priuata procurare, & religiones interpretari ex officio habebant. Ad eos magnus adoleſcentum numerus, diſciplinæ gratia cõcurrere tum ſolebat. Multa de animæ immortalitate, de ſideribus ac eorum motibus, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputare, ac iuuentuti tradere ſunt ex more conſueti, vt ex his intelligamus illos egregia polluiſſe doctrina. Sed quorſum hæc? Quo commonſtremus & Chriſtianos ſacerdotes diuinę ſapientiæ ſtudio gnauiter intentos eſſe debere, cum viderint Ethnicos & idolorũ cultores ſacerdotes tantam doctri-

Quare ſuperiora exempla ſint adducta.

næ & eruditionis habuisse curam simul & excellentiam, erubescantque ab illis superari diligentia percipiendæ doctrinæ, quos longè antecedunt pia religionis synceritate & veritatis agnitione, habentes sanctum Dei veri cultum, cuius illi erant prorsus expertes & ignari.

Sed nunc ex sacrarum literarum promptuario idem ostendamus propositum, sacerdotes, inquã, debere habere scientiam salutarem & doctrinam sacram & primum ipsius Dei testimonio, per Oseam Prophetam dicentis. *Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Constat vtiq; his verbis, propter ignorantiam & inscitiam, imò doctrinæ contemptũ, diuina censura homines à sacerdotio repelli.

Probatur ex Sacra scriptura doctrinã necessariam esse sacerdotibus.

1. *Ex Propheta Osea c.4*

Rursum conqueritur Dominus per Esaiam dicens. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, videntes va-*

2. *Ex Esaia cap. 65.*

 na dor-

na dormientes & amantes ſomnia, canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem, ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam. Sed nonne paſtores omnes, & ſpeculatores, à Domino poſiti domui Iſráël, ſacerdotes ſunt? quos frequenter cœcos reddit diuinorum eloquiorum ignorantia, quos elingues & obmuteſcentes vt non allatrent in vitia hominum per ſeuerã correptionem, plerunq; efficit imperitia.

3. *Ex eodem cap. 5.* Rurſum per eundem Prophetã ait Dominus. *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit.* Si promiſcuum vulgus & laicus populus in captiuitatem aut corporalem aut ſpiritualem (quæ durior eſt, quòd per eam ſpiritus redigatur in ſeruitutem & carcerem peccati) idcirco abductus eſt, quòd ſcientiam Dei non habeat, potiore iure & ſacerdotes ipſi in acerbam

captiuita-

captiuitatis sortem trahuntur, quia per ignauiam suam non habent eorum, quæ sui sunt officij, scientiã, qui non solũ interna doctrinæ claritate relucere debent, sed & illam extra se profundere, & in proximos per docendi officium transmittere. Quare ipsis non solum propria ad culpam imputatur inscitia, sed & eorum, quos ad Deum & opera iustitiæ debent ex officio dirigere, qui in abrupta vitiorum prolabuntur, quòd non sunt edocti legem Domini quam teneant, ob sacerdotum ignorantiam. Hinc etiam nobiles eorum, primores scilicet & maiores interierunt fame spirituali, quòd non est eis subministrata per sacerdotes verbi diuini alimonia, & multitudo populi siti exaruit, quoniam non propinauerunt ei sacerdotes poculum sapientiæ salutaris & fluenta doctrinæ. *Vbi enim non est scientia animæ, non est bonum*, vt ait Salomon in Prouerbijs. *Prou.19*

Homil. 2. in Leuiticũ. Origenes item præclarè ait: *Obseruandum sanè est, quod in peccato sacerdotis non addit legislator, quia per ignorantiam aut non voluntatem peccauerit. Neq; enim ignorantia cadere poterat in eum, qui vt cæteros doceret, constitutus est.* Quibus planè verbis innuit ignorantiam non debere locũ habere in sacerdote, quod alios instituendi prouinciam assumpserit, ad quam rectè exercendam, promptam rerum ad vitam beatam necessariarum notionem habeat, necesse est. O quàm malè sibi, quàm malè præuidet alijs qui non videt, ridiculosa res an periculosa magis speculator cœcus? Plangendus est an ridendus, doctor inscius, præcursor claudus, prælatus negligens, prçco mutus?

4. *Ex Malachia. cap. 2.* Ad hæc Malachias Propheta idẽ comprobat, dicens. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* O præclaram sacer-

dotum & eximiam dignitatem, qui cum supernis spiritibus licet adhuc in terra diuersantes, idem habent denominationis consortium & eandem communionem, Angelicoque nomine honorantur, quòd denunciandæ alijs diuinæ voluntatis consimile sortiuntur officium.

Quod & Beatus Dionysius confirmat, cum ait. *Quæri autem & illud solet ab ijs, qui diuinorum librorum studio & amore flagrant quam ob causam sacerdos homo inter homines, Dei omnipotentis Angelus à sacra scriptura nominatur?* Cui interrogationi paulò post hoc pacto respondet: *nihil (vt reor) absurdum est, si sacerdotem quoque hominem, theologia Angelum vocat, qui pro viribus Angelicæ proprietati docendo participat, atq; ad Angelorum similitudinem (vt homini poßibilè est) per nuntiandi officium nititur.* Sed qui id fieri poterit, quod sacerdos scientiam custodiat, & requisitus legem edoceat, atq; ad alios nuntiandi e-

Diony. lib. de cælesti. Hierarchia.

xerceat officium, nisi diuinæ legis sit peritus, & eorum quæ nuntiare debet, teneat scientiam?

Quanam scientia sacerdos debeat esse instructus.

At quænam (inquies) scientia, sacerdoti in primis est necessaria? Certè sacrarum literarum, & diuinorum (quæ sancta continet pagina) eloquiorum, vt quæ vel sola possint & sufficiant hominem instruere ad salutem. *Omnis enim scriptura diuinitus inspirata* (quemadmodum scribit Paulus ad Timotheum) *vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*, quę omnia sunt præclara sacerdotis & propria officia. Hic etiam solus est liber vitæ & testamentum altissimi, quo omnes ad vitam rectè instituuntur, & ad veritatis perducuntur agnitionem.

2. Ti. 3.

Sacræ scripturæ commēdatio. *Ecc. 24.*

SAN-

SANCTITATEM ET VITÆ probitatem etiam in ſacerdote ſummopere requiri, ad offerendum Deo gratum ſacrificium.

CAPVT IX.

SED nunquid ſola ſufficit ſcientia ad exornandum ſacerdotem, vt ea decoratus ſtola prodeat ſecurus in conſpectu Domini, & ſuo ritè fungatur officio? Nonne aliud inſuper ornamentum in illo expetitur, nec minus neceſſarium, quo decoretur? Certè aliud honeſtas, inquam vitæ, & morum probitas, ſine qua ſcientia parum vtilis eſt, imò grauiorem infert damnationem. *Scienti enim bonum facere & non facienti, peccatum eſt illi*, vt ſcribit Iacobus. *Et melius erat illis* (ait Petrus) *non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Seruus item qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non ſe*

Honeſtas vitæ & probitas requiritur in ſacerdote.

Iaco. 4.

2. *Petr.* 2.

non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Luc. 12. *Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

Est itaq; sacerdotibus magnoperè necessaria honesta conuersatio, & vita reprehensioni minimè obnoxia, vt non solùm verbo alios doceant, sed & honestę vitæ exemplo, & bona actione. Exo. 25. Nam ipsi tanquam omnis virtutis exemplar A simili. in sublimi perfectionis monte constituti esse debent, ad quod mentis suæ obtutum conuertentes reliqui vitam suam componant ad illius imitationem, & eo tanqnam prototypo vtantur ad rectam omniũ suarum actionum directionem. Tit. 2. Et quod Beatus Paulus Tito scribit, Com̃danda sacerdotibus. quisq; sacerdotum sibi dictum esse debet existimare. *In omnibus teipsum prabè exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.* 1. Tim. 4. Necnon & id, quod idem Apostolus scribit ad Timotheum. *Exem-*

plum

plum (inquit) *esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.*

Parum certè confert bona sacerdotis ad populum prædicatio improbę eiusdem vitæ coniūcta, imò propter morum improbitatem, despicabilis redditur & contemptibilis. Vt enim testatur Gregorius. *Cuius vita despicitur, restat, vt eius quoq; prædicatio contemnatur.* Idem quoq; in moralibus rectè ait. *Ille vberes prædicationis fructus colligit, qui semina bonæ operationis præmittit. Nam loquendi authoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur.* Rursum idē super Ezechielem. *Si negligis implere quod doces, alijs messem seminas, & ipse à frumenti participatione ieiunas.*

Præterea, quod longè periculosiùs est, sacerdotes corruptam vitijs agentes vitam, pestiferam suorum criminum scabiem transmittunt in cæteros, eosq; exemplo suę prauitatis occidunt, quos deberēt

Gregorius.

Vita sacerdotū malorū est contagiosa.

viuendo

viuendo viuificare, quemadmodũ Dominus per Ezechielem dicit de prauis sacerdotibus conquerens. *Facti sunt domui Israël in offendiculum iniquitatis.*

Ose. 9. Et de ijsdem rursum per Oseã Prophetam. *Laqueus ruinæ populi mei, sacerdotes mali.* Astipulatur illis Beatus Gregorius. *Nemo amplius in Ecclesia nocet, quàm qui peruersè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namq; hunc, nemo reprehendere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Qui ergo ad sanctitatis speciẽ deductus, vel verbo cæteros destruit, vel exemplo, melius profectò fuerat vt hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quàm sacra officia cæteris in culpa imitabilem demonstrarent. Quia nimirum si solus caderet, vtcunq; hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.* Idem quoq; in alio loco: *Scire prælati debent, quod si peruersa vnquã*

Gregorius in Pastorali.

Gregorius.

perpetrant

perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tantò se cautiùs à culpa custodiant, quantò per praua, quæ faciunt non soli moriuntur. Hæc ille.

Meminisse sanè debent sacerdotes sui nominis, quo Presbyteri appellatione græca dicuntur, id est, seniores, non quidem ab ætatis canitie aut senio, sed mentis maturitate & vitæ immaculatæ puritate. *Senectus enim venerabilis est* (vt ait sapiens) *non diuturna, nec numero annorum computata. Cani enim sunt sensus hominis & ætas senectutis, vita immaculata.* Qui ergo officium sacerdotale gerunt, & leuitate morum huc & illuc more venti aguntur, iuuenilibusq; fluctuant desiderijs, nomen quidem Presbyteratus habēt, ab ipsa autē re longè absunt, quòd animi caniciem non præferant.

Vnde sint dicti presbyteri.

Sapien. 4.

Præterea debent sacerdotes virtute compositam & bonis moribus com-

Sacerdotes debēt esse im-

maculati propter Missæ sacrificiũ.

bus commendatam agere vitam, ob excellentiſſimum ſacri altaris miniſterium & offerendi ſacrificii, iuſtitiæ & laudis officium, quod nõ niſi puro vitijs animo & puris manibus contingi debet & contrectari. *Sancti* (inquit) *eſtote dicit Dominus, quoniam ego Sanctus ſum*. Imò quoniam Sanctus Sanctorum eſt Agnus ille verus, qui immolatur Deo Patri in Sanctiſſimo altaris ſacrificio, & fons ſanctitatis immenſus, non decet illum niſi à mundis & incontaminatis miniſtris attrectari.

Exo. 12. Figura.

Si enim typicus ille Agnus Hebræorum adhibitis panibus azimis debuit manducari, non commixto vlla ex parte fermẽto, certè Agnus iſte immaculatus nõ niſi in azimis ſynceritatis & puritatis eſt ſumendus, expurgatoq; omni fermento nequitiæ. Hoc & veteris legis expreſſit inſtitutio his verbis. *Sacerdotes ſancti erunt Deo ſuo & non pollu-*

1. Cor. 5.

ent no-

ent nomen eius, incensum enim Domini & panes Dei sui offerunt; & ideò sancti erunt. Quòd si in antiquæ legis sacerdotibus exposcebatur senectus, quantò maior in ijs, qui nouæ legis sequuntur instituta? Rursum de Hostia pacificorum ita legem sanxit Leuiticus. *Qui fuerit mundus, vescetur ex ea. Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. Et quæ tetigerit immunditiam hominis vel iumenti, siue omnis rei, quæ polluere potest & comederit de huiusmodi carnibus, interibit de populis suis.* Quæ igitur munditia in ea exposcitur anima, quæ hostiam salutarem immolatura est & manducatura, cuius sanguine pacificata sunt omnia & Deus mundo reconciliatus? Debetne illa impolluta esse & ab omni cõtactu rei immundæ contagioneq; peccati quàm maximè aliena?

Leui. 22.

Leui. 7.

Sed nunc Beatũ Ioannem Chrysostomum audiamus de dignitate

Chrysostomus lib. 6.

sacerdo-

Dialogorum de dignitate sacerdotali.

sacerdotali, ita nostrum propositū astruentem. *Nam eum qui pro omni ciuitate (quid autem dico pro ciuitate? imò pro vniuerso mundo) legatione fungitur, & deprecatur iniquitatibus omnium propitium Deum fieri, non solùm viuentium sed etiam mortuorum, qualem putas esse debere? Ego quidem Moysi & Heliæ confidentiam, huic non puto supplicationi posse sufficere. Sicut enim is, cui sit commissus vniuersus mundus, & qui sit pater omnium ita accedit ad Deū obsecrans extingui quicquid vbiq; pugnarum est, dißipari tumultum placari omnia, & tàm priuatis malis quàm publicis imponi finem. Itaq; tantum differre debet omnibus precator virtutis eminentia, quantum præcellit & ipso distat officio. Cum verò etiam Spiritum Sanctum aduocauerit & reuerendam illam immolauerit hostiam, communeq; omnium Dominum subinde contigerit, vbi illum (dic mihi) nostra æstimatione ponemus? quantùm ab illo splendorem poscimus, & quantam religionem? Expende*

pende

pende enim quales oporteat eius esse manus tantarum rerum ministras, qualem linguam talia verba fundentem, aut quo genere non mundiorem, & sanctiorem animam esse talem spiritum recepturam. Ecce ex magnitudine & sublimitate officij sacerdotalis in immolatione illius augustissimæ hostiæ, quã tam ostendat Chrysostomus in offerente sacerdote debere esse sanctitatem & munditiam. Et id meritò quidem. Nam teste Gregorio, *cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Et malis sacerdotibus denuntiat per Malachiam Dominus *Maledicã benedictionibus vestris.* Rursum per Esaiam Prophetam. *Cum extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Cui etiam respondet Propheta in Psalmo dicens, *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus,*

Gregorius. *Mala. 2.* *Esai. 1.* *Psa. 65.*

Deniq;

Ioan. 9. Deniq; apud Ioannem cæcus ille à natiuitate non minus animo quã corpore iam illuminatus ait, *Scimus, quoniam peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit hunc exaudit.* Ex his vtiq; constat prauorum sacerdotum preces non esse Deo acceptas.

PROFVNDA HVMILITATE, suiq; ad diuinam maiestatem exinanitione opus esse sacerdoti, ad offerendum altaris sacrificium.

CAPVT X.

NE igitur temerè quispiam & impręparatè accedat sacerdos, ad reuerendum istud & summè venerandum sacrificium Deo offerendum: in primis attento animo debet considerare summam ipsius maiestatem, qui in huiusmodi offertur ministerio, & ex illius consideratione in suam resilire paruitatem, imò (vt ita dixerim)

rim) nihilitatem, qua se verè coram Deo humiliet: indignitatem suam confiteatur, & refugiat tam sublime tractare sacramentum.

Enimuerò si attendere lubet, quantus & qualis ipse est, qui in hoc sacratissimo mysterio offertur certè & cæli & terræ Dominus est, qui vitæ & mortis habet potestatē, deducit vsque ad portas mortis & reducit, quique claues habet mortis & inferni. Ipse vnigenitus est Dei filius à patre ante sæcula genitus, & eidem coæternus, cuius æter nitas circulari hostiæ visibilis figura cum neque principium habeat neque finem, (vt linea recta) sanctorum patrum instituto exprimitur atque significatur. Idem quoque vnigenitus est Deiparæ Virginis Mariæ Filius, & verus homo ex substantia matris in sæculo natus, nullam in se habens peccati maculam. Cuius omnimodam puritatem & immunitatem à peccato,

Maiestas Dei in hoc Mysterio quanta.

Apoc. 1.

Æternitas Dei hostiæ in figura denotatur.

Candor hostiæ puritatẽ Dei signi ficat.

candor hostiæ sacræ conspicuus ex ipsius Ecclesię decreto nobis refert atq; insinuat. Ipse certè est & non alius, qui passus est pro nobis acerbissimam in Cruce mortem, vt nos viuificaret. Qui preciosum Sanguinem suum effudit, vt nos redimeret. Deuicta deinde morte rediuiuus ad immortalem surrexit gloriam, cælos triumphali virtute conscendit, sedet ad dexteram paternę maiestatis in excelsis, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Ipse igitur Creator noster est, ipse Redemptor noster, ipse Iudex noster, in cuius manus anima nostra deueniet soluta corpore, & recipiet ab eo suorum operum stipendia atq; mercedem.

Tremenda DEI Maiestas.

Sed quis antè tantum Iudicem (cuius magnitudinem neq; cæli, neque terra capere possunt, cuius potestati obluctari valet nemo, in cuius ditione cuncta sunt posita, nec quisquam voluntati eius resistere

potest

potest) se constitutum cernens, nō totus contremiscat, exhorrescat eius maiestatem, & totus tremore concutiatur? Si columnæ cæli & Angelicæ potestates contremiscūt & pauent ad nutum eius, trepidantq; ob immensitatem sublimitatis illius, quid faciet homo conceptus in iniquitatibus, & qui semper vitam agit in peccatis? Certè aliud nihil habet quod faciat, nisi quòd prouoluat se humi ante thronum diuinæ maiestatis, procumbat humiliter, & pronus in terram procidat humili animi affectu, atque indignum se esse ad tàm reuerēda peragenda mysteria, interna mentis lingua fateatur. Nec modo indignum se, imò & nihil seipsum esse nisi terram & lutum ad illam celsitudinem diuinæ virtutis contestetur: quinimò ob peccatorum fœditatem & corruptelam, longè infra terram & lutum se constituat. Si enim Abraham amicus Dei singularis,

Hest. 13

Iob. 26.

Abrahæ humilitas.

gularis, & omni virtute probatus, ſeipſum puluerem & cinerem vocauit, cum eſſet Deum allocuturus

Gen. 19. (loquar, inquit, ad te, cum ſim puluis & cinis?) quid faciet ſacerdos ab ipſius Abrahæ perfectione multum diſtans, verum Deum & Dominum ſuum immolaturus atque ſumpturus? Nonné longè infra cinerem & puluerẽ ſe debet proijcere, propter grauia ſua peccata, demergentia hominẽ in infernum?

2. Reg. 24. Hiebuſæ humilitas.

Rurſus Areuna Hiebuſæus cum animaduertiſſet Dauid Regem ad ſe venientem cum ſeruis ſuis, egreſſus adorauit Regem prono vultu in terram, admiratuſque tantam illius benignitatem, humiliter ait. *Quid cauſa eſt, vt veniat Dominus meus Rex ad ſeruum ſuum?* Nihilominùs erat ipſe Dauid naturæ mortalis conditione, illi ad quẽ veniebat prorſus æqualis. Nonné igitur ſacerdos antè Domini ſui præſentiam in hoc altiſſimo conſti-

tutus ministerio, ex profundo cordis affectu debet admirabundus proclamare: *Vnde mihi hoc, vt veniat Dominus meus ad me, nec meus solùm, sed & hominum & Angelorum Dominus super omnes exaltatus?* Et nihil sibi ipsi aut operibus iustitiæ quæ fecerit ascribens, totum id diuinæ benignitati debet acceptum referri.

At hæc Rex Salomon in oratione sua cùm dedicaret templum à se constructum Domino, inter cætera ait. *Si cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificaui tibi?* Cuius humilem professionem imitatus sacerdos, dicat intra se. 2. Reg. 8. Salomonis humilitas.

Neq; cæli Domine neq; terra te capere possunt, ob magnitudinē tuæ maiestatis, quantò magis te nequaquā cōprehendere valet domus hæc cordis mei, quam tibi præparaui? In qua nō sunt fateor ea virtutū ornamenta, quæ tuā decent magnificentiā. Non est ille charitatis feruor, ille fulgor fidei, ille bonorum operum splen- *Interna sacerdotis ad Deum excursio*

dor, quem tua exposcit dignitas, imò nihil in ea ex me ipso, nisi peccatorum sordes & tetra eluuies. Probibuisti Domine sub graui interminatione, ne quispiam
Leu.13. in Leuitici sacerdotij tempore habens maculam in corpore, accederet ad offerendũ tibi sacrificium, voluistiq; illius tempestatis sacerdotes immaculatos esse & nulla deformitate notatos. Hæc tamen omnia in figura illis contingebant, & habebat ipsa lex vmbram futurorum bonorum, non ipsam veritatem, significabantq; illa legis antiquæ instituta, sacerdotes nouæ legis omni debere carere macula cordis, quæ longè quacunq; corporis deformitate est magis horrenda & abominabilis. Si itaq; sanguinem hircorum aut taurorum immolaturus sacerdos, omnis maculæ quæ corpus dedecorat & deformat, esse debuit immunis, an animæ fœdam labem & pestem geret inustã longo vsu, qui Agnum immaculatum & verum est Deo oblaturus? Horrerené debet sui conscius mali, tanta contingere sacra? Verùm quis dicere potest Domine, mun-

ne, mundum est cor meum, & purus ego sum à peccato? Iniquitates meæ Domine supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me, multiplicatæ siquidem sunt super capillos capitis mei. Et cor meum dereliquit me, vulnera præterea peccatorum grauia, sicut sagittæ infixa sunt cordi meo, quo igitur modo ausim ô Domine tuum altare accedere, quod non nisi mundis manibus & corde puro debet adiri? Vndè in id deueniam temeritatis & audaciæ, vt omni ex parte peccato informi & multiformi cordis fœditate deturbatus, ausim ad tàm sublimè offerendum sacrificium meipsum ingerere.

Pro: 20. Psal. 37. Psal. 33. Apoc: 3.

Demum in sacris reuelationibus tuo dilecto discipulo ostensis, ad vnum Angelorum septem illis Ecclesiis præsidentiũ Domine dixisti. Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Quo quidem verbo apertè indicasti Domine, te cordis teporẽ omninò auersari, atq; refugere. Et id

quidem meritò nam ipse ignis es consumens, & flamma comburens montes, idcircò ignitos exposcis animos & flagrantes igne diuini amoris. At cor meum Domine Deus meus, neque flamma illa tuæ charitatis incalescit, neq; feruentiū cupiditatum extinctione algescit, sed ad bene operandum ignauia & torpore intepescit penitùs, vt ne minima quidem
Deu: 4. in animæ meæ foco sit scintilla, vnde rediuiua exuscitetur in me tuæ dilectionis flamma. Quomodo igitur formidandum mihi non est, ne abs te euomar, vt dignus sum, & repellar vt seruus inutilis & maledictus, qui facit opera sua negligenter? Qua fiducia accedam montem illū ardentem & flagrantem igne charitatis inextinguibili, qui torpore animi atq; socordia torpescens, nihil in me sentio diuini incendij atq; caloris?

Leu: 16. Deniq; iußisti Domine sacerdotibus Leuiticis, quòd ignis in altari tuo semper ardeat, quem nutriat sacerdos subijciens per singulos dies, quòdq; ignis iste sit perpetuus nunquam deficiat in altari. Quo

præcepto mysticè insinuasti, in altari cordis nostri (super quo offerre tibi quotidiè debemus sacrificia bonorum operum) ignem charitatis nunquam debere extingui, sed iugi & continua beneficiorum suorum in nos recordatione illum enutriri in nobis, ac magis succendi. Atqui in ara cordis mei Domine non est succensus ille ignis, quo adoleam tibi holocaustum, incensum & adipes. In meditatione mea Domine non exardescit ignis, quia neq; tuorum in me bonorum iugis est recordatio, neq; studium mihi est aut cura hunc sacrum ignem suscitandi in altari cordis mei, quo immolem tibi sacrificium laudis, & reddam tibi Domino altißimo vota mea.

Hie: 48 — *Psal: 38.*

Hæc & similia piè meditetur apud se sacerdos, vt in abyssum humilitatis se demittat, & attonitus altitudine diuinæ potestatis, celsitudine maiestatis supernæ, & sublimitate tanti mysterij, resiliat ab eo tanquam indignus, qui illud cõcelebret. Et eo ipso maximè con-

Conclusio. *Psal: 49*

sequetur vt dignum illum efficiat Dominus, qui superbis resistit, &
1. Pet. 4. humilibus dat gratiam. Si quidem hoc pacto præclari & sanctitate illustres viri leguntur plerunq; recusasse sacerdotalis ordinis fastigium, ob dignitatem eius, & mysterij in eo perficiendi excellentiam atque magnitudinem. Inter quos sacra-
Chrysostomus. tissimus pater Ioannes Chrysostomus libro sexto dialogorum de dignitate sacerdotali, Sanctum Basilium exhortantem ipsum ad subeundam hanc functionem Ecclesi-
Humilitas sancti Chrysostomi. asticam, his compellit verbis. *Necdum inhorrescis* (inquit) *quod ad tale mysterium me niteberis inducere, in-*
Mat. 22. *dutumq́, sordidis vestibus, sacerdotum inserere dignitati? cùm talem Christus à conuiuantium congregatione separauit. Splendore etiam vitæ totum illuminantis orbem, fulgere debet animus sacerdotis. Noster autem tantis operitur tenebris malæ videlicet conscientiæ, vt incuruetur, semper, nec ad Deum cum fi-*

ducia

ducia audeat aliquando reſpicere. Sacerdotes item, ſales terræ ſunt. Noſtram autem inſipientiam & in omnibus ignorantiam, quis queat facilè ſuſtinere? exceptis vobis qui nimis nos diligere decreuiſtis. Mat. 5.

Hæc ille.

EX CONSIDERATIONE BEnignitatis & humanitatis Chriſti, ſacerdotem debere fiduciam ſumere offerendi Deo altaris ſacrificiū.

CAPVT XI.

VERVM hæc propriæ infirmitatis recognitio & ſuiipſius deiectio, ex cōſideratione magnitudinis diuinæ maieſtatis concepta, non debet vſque adeò ſacerdotem ipſum abſterrere, vt penitus refugiat huius tanti myſterij celebrationem, ſed animum ſic trepidum & attonitum reuocare debet & erigere, ſumma Chriſti benignitas & humanitas nobis exhibita, fiduciamq; illi ſugge-

rere ſacrum accedendi altare, & hoc ſacrificium offerendi. Laudanda quidem eſt humilitas cordis animũ deterrens ab hoc miniſterio. Sed non minùs commendanda animi confidentia, qua non in ſuis fidens operibus, ſed in ſola Dei bonitate aggreditur huius muneris functionem.

Humilitas cum confidentia pia.

Placuit certè Domino humilitas Centurionis detrectantis aduentũ Domini ad domum ſuam, his verbis. *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* Æquè tamen grata fuit eidem Zachei promptitudo & hoſpitalitas, qua Dominum dignatum ſubire illius tecta ſuſcepit in domum ſuam gaudens. Placuit item Domino noſtro Beati Petri humilitas, qua attonitus in captura piſcium dixit. *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Nihilominùs placuit eidem & feruor ille Petri & affectus ſyncerus, quo impatiens moræ demiſit ſe in mare, vt veniret

Mat: 8. *Luc:*16. *Luc:* 5. *Ioan:*21

citius

citius ad IESVM in littore consistentem quàm nauigio venire posset. Demum placuit Domino humilitas Ioannis recusantis baptismi circa eum ministerium, his verbis. *Ego à te debeo Baptizari, & tu venis ad me?* Sed non illi grata fuit eiusdem obedientia, qua baptismi officium à Deo sibi designatum etiam circà Dominum & Deum nostrum exercuit. Itaque ad erigendum in fiduciam animum suum, hęc apud se sacerdos mente in Deum effusa reuoluat. *Mat: 3.*

Interna sacerdotis ad Deum oratio.

Magnus quidem es Domine, sed propter nos te paruum absq; tui diminutione fecisti, cum homo fieri dignatus es, & in mundo nobiscum conuersari. Seruiunt tibi obedienter Angelicæ virtutes, & ad nutum tuum iugiter obtemperant, sed & ipse in mundum venisti non ministrari sed ministrare, & dare animam tuam in redemptionem pro multis, atq; in medio discipulorum tuorum fuisti, non sicut qui recumbit, sed qui ministrat. Et quòd *Mat:20.* *Luc: 22.* *Ioan:13.*

amplius est, pedes eorum abluere & extergere non es dedignatus. Ecce Domine pedes affectuum meorum habeo sordidos, aspersos puluere curarum & solicitudinum huius sæculi, & contaminatos luto carnalis concupiscentiæ. Non id arrogans (oro) & temerarium videatur, si extendam & ipse pedes meos, vt à te lauentur. Mitte obsecro aquam contritionis in peluim cordis mei, laua pedes
Ioan: 23 *meos vnda salutari, & exterge linteo tuæ benignitatis. Si dixero Domine cum Beato Petro ex humilitate cordis, Non lauabis mihi pedes in æternum, timeo ne audiam formidabilem tuam comminationem illi dictam: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Obedientiam certè tunc ab eo exposcebas, non tantum humilitatem, quam & ipse haud cunctanter præstitit: mihi quoq; eandem præstandi cum ipso da gratiam, & dicen-*
Mat: 8. *di. Domine non tantum pedes mihi laua, affectusq; meos, sed & manus, id est, opera mea & caput, intentionemq; cordis omnia opera disponentem, vt efficiar*

tuæ gratiæ adiutorio mundus totus, teq́; in puritate & munditia poßim contrectare & sumere.

Non abhorruisti Domine Deus meus contactum leprosi, adorantis te & dicentis, Domine si vis, potes me mundare. Mat. 9.
Ita & manum tuæ virtutis extende in animam meam, dic te velle eam mundare, & protinus mundabitur ab omni lepra peccati, qua miserè premitur. Non exhorruisti etiam Domine, neq; cum supercilio reiecisti mulierem, iam duodecim annos profluuio sanguinis laborantem, sed & sanam eam reddidisti, & trementem benignè consolatus es dicens. Confide filia, fides tua saluam te fecit. Ipse verò non duodecim tantum annis sed toto vitæ meæ tempore, fluxus carnalium desideriorum sum perpessus, & carne spiritum prægrauante ad delicias & oblectamenta sæculi huius pellectus. Reprime igitur contactu tuæ gratiæ interno has fluitantes carnis illecebras.

Insuper mulierem Chananeam aßiduè pro filia sua deprecantem demum e- Mat. 15.
xaudisti,

xaudisti, dæmoniumq; ab ea compescuisti. Ita Domine miserere mei, anima mea male à dæmonio torquetur, non vno sed pluribus: tot enim me torquent dæmonia, quot in anima mea regnant peccata. Sed qui Principem huius mundi foras eiecisti, eijce tuo in meum hospitium aduentu, & exturba sæuum tyrannum, qui me excruciat, & animam meam

Luca 7. vult deglutire. Non es auersatus itidem Domine illam peccatricem flumine lachrymarum suarum sacros tuos pedes abluentem, non recusasti oscula quæ pedibus tuis dedit: nec vnguentum, quo illos inunxit, dimißis illi peccatis suis in pace eam abire iußisti. Ita nec meipsum Domine dedigneris, ad pedes tuos effusum atq; prostratũ, & peccatorum meorum veniam postulantem.

Luc: 15. Præterea cum publicanis & peccatoribus conuersari in terra non recusasti, manducasti & bibisti cum illis, voluistiq; vt appropinquarent tibi ad audiendum verba tua. Quid igitur nunc prohibebit & me ad te Domine accedere, quamuis

peccator sim? Nunquid minor nunc est benignitas tua, quàm tunc fuerat? nihilo certè minor. Eadem est prorsus, & nulla ex parte immutata. Dixisti etiam Domine, & verum est, quòd non est opus valentibus medico, sed malè habentibus, adiecistiq́ te venisse non ad vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Ego planè si sanus essem, ad te medicum non properarem. Si iustus forem, ad te iustificationem non accelerarem. Sed quia ægrotus sum, indigeo medico. Et quoniam peccator sum, egeo Saluatore. Imò eo ipso testificor meum morbum & probo, quòd ad te medicum confugio. Sordidus sum fateor Domine, sed tu fons es misericordiæ ad abluẽdas sordes meas. (*Mat. 9.*)

Tenebrosus est animus meus & nebulis vitiorum obductus, sed tu lux es immensa ad illuminandum tenebras meas. Mortuus sum Domine, & à te fonte viuo diuulsus per frequentem peccatorum perpetrationem, quæ animam peccantis occidunt. Sed tu fons es vitæ, tu vita es æterna, omnia solo verbo viuificans. Vt (*Sap:16.*)

igitur

igitur abs te viuificari valeam, ecce venio ad te Domine, viuifica me secundùm verbum tuum: Cæterùm quidni ad te venirem? inuitasti me ad hoc ipsum Domine Deus meus, cum dulcißima vocatione omnes ad te venire monuisti dicens:
Mat.11 *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Laboraui Domine iam diutius, & ambulaui vias peccatorum difficiles. Oneratus etiam sum graui fasce peccatorum, & iniquitates meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me. Refice igitur me hoc dulcißimo edulio, quòd in altari tuo offertur vt hac refectione abeat omnis ille labor peccatorum, quo hactenus fui occupatus, & dulcis sit omnis sudor, qui pro te suscipitur. Depellantur etiam pondera peccatorum meorum & proijciantur à me, vt posthac suaue tuum iugũ lubens feram, Neq; solùm vocasti me suauißimè ad hoc conuiuium Domine Deus, sed & grauem pænam comminatus es illis, qui hunc cibum & potum animæ non sumerent, cum dixisti. Nisi*

manduca-

manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. At tristè admodùm est & ærumnosum, vitam spiritualem non habere, sed in perpetua versari morte. Et qui ad cænam magnam vocati sunt, nec venire voluerunt ab irato patrefamilias indigni eius conuiuio sunt habiti. Luc. 14.

Ne igitur illis annumerer, ne excludar ab illorum beatorum consortio, qui manducant panem in Regno Dei, ecce venio ad te Domine, & de tua benignitate confisus ad te cum fiducia accedo. Sanè horum & similium pia meditatione, quæ mens in Deum intenta suggeret, animus erigetur in cælum, & ad hoc altaris ministerium fidentius exequendum confortabitur in Domino atq; roborabitur, proiiciens se in sinum misericordiæ eius.

QVAM TIMENDA EST INdigna huius ministerij executio, & quanta gratiæ exuberantia rectè ipsum exercentibus confertur.

CAPVT

CAPVT XII.

NON debet tamen isti fiduciæ deesse timor, tanquam eam moderans & temperans, animumq; suæ salutis reddens solicitum. Si quidem metuere debet mens humilis, ne indignè tantùm accedat ministerium, ne minùs æquo præparata, ne circa suiipsius probationem negligẽs, summam eius cui famulatum vult impendere maiestatem offendat. Neque vnquam animo timorato excidere debet illud Beati Pauli
1.Cor.11. verbum. *Qui manducat panem hunc, & bibit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini, iudiciumq; sibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini.* Propterea anxiè solicitus sit & sedulus, vt secundum eiusdem Apostoli monitũ probet seipsum per diligentem vitæ anteactæ inquisitionem, per accuratam propriæ conscientiæ exa-

minationem atq; discussionem per puram & synceram peccatorum suorum confessionem, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Siquidem dictum est à Domino in Exodo, *quòd bestia quæ tetigerit montem interficietur: & lapidibus obruetur aut confodietur iaculis.* Si non debuit corporalem illum montem in quo lex danda erat tangere bestia rationis expers siue iumentum, alioqui morti erat obnoxia: quomodo maiore supplicio dignus non erit, aut gehennæ effugiet ignem, qui bestialem agens vitam, cùm in honore sacerdotali esset, non intellexerit eius dignitatem? qui cõparatus iumentis insipientibus, & similis factus illis audet tangere montẽ illum sanctũ montẽ Dei, montem pinguem, montẽ in quo beneplacitum est Deo habitare in eo? Sacratissimum scilicet Eucharistiæ mysterium & cælo & terra sublimius, & suæ dignitatis culmi-

Sacerdotibus timendam esse indignam celebrationem, probatur variis exemplis.

1. Probatur exemplo Montis. *Exo: 61.*

Psa:48.
Psa:67.

ne cælos

ne cælos ipsos atque Angelicos spiritus transcendens.

Propterea eodem loco legitur Dominus dixisse ad Moysen. *Sacerdotes quoq; qui accedunt ad Dominũ, sanctificentur, ne percutiam eos.* Si cõminatus est plagam ijs sacerdotibus antiquæ legis, qui minus æquo sanctificati ingererent se ad obeunda sua ministeria, nunquid manũ continebit à percussione, si attentent nouę legis sacerdotes sine sanctificatione, & debita per munditiam pręparatione accedere ad Dominum atq; altaris officium?

2. Probatur à sanctificatione sacerdotũ antiquæ legis. *Exo:19.*

Rursum quoniam minore, quã par fuit reuerentia, Bethsamitæ viderunt arcam Domini, cum à Philisteis reduceretur, viderunt inquam detectam & nudam quod illis fas non erat, percussit Dominus (vt sacra primi libri Regum narrat historia) de viris Bethsamitis, eo quòd vidissent arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros &

3. Probatur ab exemplo Bethsamitarũ *1. Reg:6.*

ros & quinquaginta millia plebis. Luxitq; populus eó quod Dominus percussisset plebem plaga magna & dixerunt viri Bethsamitæ, *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius, & ad quem ibit ex nobis?* Ecce propter illatam populo grauem plagam, cæteri Bethsamitę timore magno correpti sunt, neque ausi apud se arcam Domini diutius detinere. Quis igitur non timeat homo arcam viuam & animatam, arcam spiritualem & superdiuinam (in qua inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi) impuris spectare oculis aut animo malorum conscio apud se suscipere? *Colos: 2.*

4. Probatur ab exemplo Ozæ.

Pręterea. Oza manum admouens arcæ minanti ruinam percussus est à Domino super temeritate sua, & morte repentina extinctus, quod plaustro eam imposuerat bobus vectandam, quæ solis leuitarũ

humeris

humeris ex diuina ordinatione de-
2.Reg:6 buit deferri. Et extimuit Dauid Dominum in die illa dicens. *Quomodo ingredietur ad me arca Domini? & noluit ad se diuertere arcam Domini in Ciuitatem Dauid.* Fuit autem arca illa, solum figura & vmbra huius Sanctissimi Sacramenti, in se omnē gratiæ exuberantiam continentis. Quomodo ergo mortem effugiet, qui ausit impudenter extendere manus impias & pollutas sanguine, in hanc Sacratissimam arcam? & quis non concutietur vehementi timore, ne ira Dei descendat super eum?

5\. Probatur ab exemplo istius qui carebat veste nuptiali. Mat:22

Adhæc. Qui sine veste nuptiali venerat ad discumbendum in nuptijs filii Regis acriter reprehensus est à Rege ingresso, vt videret discumbentes, his verbis. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Deinde iussus est ligatis manibus ac pedibus, proijci in tenebras exteriores.* Quem quidem Euangelij lo-

cum Au-

cum Augustinus in vno sermone de dedicatione Ecclesiæ adducens subiungit. *Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad conuiuium nuptiale, id est, ad altare Domini aut ebriosus, aut adulter, aut odium in corde retinens, præsumit accedere. Auertat hoc à nobis Deus fratres charissimi, & concedat, vt mala ista aut nunquam velimus admittere, aut si admissa fuerint, sine vlla mora, per pœnitentiam studeamus sanare, & largioribus eleemosynis festinemus abluere. Ne fortè si cum peccatorum vulneribus ante tribunal æterni iudicis venerimus, ab illa æterna Ecclesia & ab illa cælesti Hierusalem, perpetua excommunicatione separemur.* Rursum idem in supradicto loco. Rogo vos fratres, diligenter attendite. *Si ad mensam cuiuscunque potentis hominis nemò præsumit cum vestibus concisis & inquinatis accedere, quantò magis à conuiuio æterni Regis, id est, ab altari Domini, debet se vnusquisque inuidiæ vel odij veneno percussus, vel iracun-*

Augustinus.

Idem.

diæ furore repletus, cum reuerentia & humilitate subtrahere, propter illud quod
Matt:5. *scriptum est. Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Hæc ille.

Insuper Nadab & Abiud filij Aaron, arreptis thurribulis obtulerũt
6: Domino ignem alienum, quod eis
Probatur exemplo Nadab & Abiud. *Le:10.* præceptum non erat, & protinus à Deo percussi, mortui sunt in eodẽ loco. Cur (oro) simile non extimescunt iudicium, qui ignem carnalis concupiscentiæ, auaritiæ, aut iracundiæ prorsus alienum ab igne charitatis offerunt Domino? cùm igne cupiditatis flagrantes aut libidinis, scelestas ingerunt manus ad offerendum Deo sacri altaris holocaustum.

7.
Probatur ab exemplo Iudę. *Ioa. 13.* Quem deniq; non exterreat infaustus ille & miserabilis Iudæ traditoris exitus? qui post susceptum indignè hoc sanctissimum Sacramentum sathanæ traditus in inte-
Ma. 27. ritum, laqueo sibi mortem consci-

uit, su-

uit, suspensusque crepuit medius. Quis iure non timeat, ne post indignam tanti cibi manducationem intret in manducantem sathanas, quemadmodum in illum intrasse legitur?

8. Probatur exemplo Corinthiorum. 1. Cor: 11.

Demum Beatus Paulus multos Corinthiorum scribit infirmos esse ac imbecilles, multos item immatura morte dormire, quòd sine debita veneratione & reuerentia hoc tantum sacramentum auderent sumere. Cur ergo non timeamus similem afflictionem nobis à Deo illatum iri, si minus quam oportet reuerentes & apparati fuerimus ad attrectanda hæc sancta & incontaminata mysteria?

Sacerdotibus dignè celebrantib' magna confertur gratia.

Cæterùm quantò grauiora impendent mala ijs, qui irreuerenter & illotis (vt aiunt) manibus hæc contrectant, quorum consideratione meritò deterremur ab hac sanctorum communione, tantò cumulatiora manent gratiarum mu-

nera eos, qui cum debita (vt fragilitas sinit humana) præparatione & deuotione accesserint piè & religiosè ad horum mysteriorum participationem. Quod è diuerso debet incitare & prouocare animũ, vt ardenti affectu ac desiderio ad
1. ea totus aspiret.

Probatur longa ad Deum oratione à benedictione domus Laban. *Gen. 31. Gen. 39.*

Si enim benedixisti Domine Deus domui Laban ad introitum Iacob, & domui Aegyptij ad ingressum Ioseph, non quidem ob ipsius Laban aut Aegyptij virtutem (nam vterq; à te erat alienus, hic religionis ignorantia, ille fraudulentia) sed ob illorum, qui domos illas ingressi sunt singularem probitatẽ: nonné vberiorem dabis nobis benedictionem, cùm domum nostri cordis fueris ingressus per sacram horum mysteriorum communionem?
2. *Larga præterea benedictio tua descendit super domum Obededom, & bonorum multiplicatio, ob arcæ materialis præsentiam. Quid igitur faciet arcæ huius sacratissimæ & supercælestis in domicilio cordis nostri collocatio? Non-*

Probatur à benedictione domus Obededõ. 2. *Reg. 6.*

né am-

né amplißimam illi gratiarum copiam elargietur, & affluentiam sanctificationis opulentißimam?

3. Probatur exemplo Viduæ Sarreptanæ. 3. Reg. 7.

Rursum Helias ingressus viduæ Sareptanæ domum, & ab ea ad tempus enutritus, filium eius mortuum reuocauit ad vitam. Helisæus etiam Propheta, mulieri Sunamiti (cuius vtebatur hospitio) prius filium impetrauit, deinde eundem in tenella ætate morbo extinctũ resuscitauit. Si id præstitit prophetica virtus suo in quo diuersabatur domicilio, quid præstabis tu Deus meus (qui prophetarum es Dominus, & omnes prophetas sanctificans) cordibus eorum, qui te suscipiunt hospitio? Nonné animas eorum præmortuas restitues vitæ, & omni replebis benedictione, bonorumq; operum fœcunditate?

4. Probatur exemplo Sunamitis. 4. Reg. 4.

5. Probatur exemplo Elisabethæ. Luc. 2.

Demum Sacrosancta mater tua domum Elizabeth cognatæ suæ ingressa, in ipso salutationis exordio, primaq; congreßione, id grandeuæ matri contulit donum, quod spiritu sancto continuo repleta, cognouerit sacratißimum incar-

nationis tuæ mysterium: & admirabunda in magnam eruperit diuinæ laudis vocem. Contulit & sanctæ proli maternis adhuc clausæ visceribus, quod exultauerit in gaudio intra vteri suæ matris latibula. Quid igitur conferet nobis ô Domine Deus, piorum cordium dulcedo, suauißima tua in hoc admirabili Sacramento præsentia? Nonné exuberantem Spiritus sancti gratiam secum afferet in tabernaculum cordis nostri, gaudiumq́; internum, & consolationem? Tu Domine diligenti te, & sermones tuos seruanti promisisti, quod ad eum venires, & mansionem apud eum faceres. Quid ergo præstabis te ipsum in penetralia sui cordis introducenti? Quum stas ad ostiū cordis nostri & pulsas, promisisti si quis tibi aperuerit, quod intrares ad illum, & cœnares cum illo, & ipse tecum. Ecce ego Domine mi, aperui tibi cubiculum animæ meæ, per affectum ad te suspirantem. Ingredere igitur domum serui tui, & ibidem quiesce, & da illi tecum in dulcedine spiritus epulari. Et quemad-

6. Probatur ab exemplo diligentis Deum. *Ioa. 14.*

7: Probatur ab exemplo stantis ante ostium. *Apoc. 3.*

modum

modum prius de Zachæo hoſpite tuo dixiſti, ita & de anima mea domicilio dic Domine Deus. Salus hodie huic domui facta eſt, eò quòd ipſe ſit filius Abrahæ. Tu Domine Deus meus, ſumma es veritas, & in ore tuo non eſt inuentum mendacium. Dixiſti vtiq; : Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo : & qui manducat me, ipſe viuet propter me. Da igitur mihi Domine per hanc tui corporis & ſanguinis ſumptionem perpetuò in te manere, & propter te viuere, vt nec vnquam à te ſeparer, aut per mortem peccati diuellar.

8. Ab exemplo Zachæi hoſpitis. *Luc: 19.*

Ioan: 6.

His & conſimilibus pijs meditationibus, animus fidenter in Deum erigitur : & interna perfuſus ſuauitate totus ad Deum ſuſpirat, miroq; deſiderio ad ſumendum hunc cibum viuificum afficitur.

IN OFFERENDO ALTARIS ſacrificio, rectàm intentionem, debitamq; ad omnia attentionem & reuerentiã in Deũ ſeruari debere.

CAPVT XIII.

POstquam, animũ ex humilitate refugientẽ hoc arduum altaris ministerium reuocauerit fiducia beneuolentiæ & benignitatis Christi: tunc sacerdos sacra facturus primũ constituat rectam sui operis intentionem primariam & præcipuam: vtpotè quòd ea sacrificij oblatio fiat in primis ad Dei honorem, omniumq; sanctorum gloriam: ad omnium præterea viuentium salutẽ, & fidelium defunctorum refrigerium. Est enim hæc vniuersalis hostia, & quæ pro totius Ecclesiæ omniumq; membrorum eius offertur salute: in qua offerenda constituitur sacerdos vt publicus Ecclesiæ minister, non pro se tantum orans, sed pro tota fidelium communitate: omnes quoq; preces suas, multitudinis numero & plures orantes complectente exprimens.

Quæ sit primaria sacri intentio.

Quod

Quod non solus ipse ibidem orat, sed & tota cum eo fidelium Ecclesia, offerens Deo Patri Filium eius vnigenitum, in quo sibi bene complacuisse voce cælo delapsa contestatus est, & quem seipsum offerentem acceptauit, vt sacrificium iustitiæ in odorem suauitatis. *Mat: 3.*

Si enim odoratus est Dominus odorem suauitatis, cum Noë finito diluuio obtulit illi holocaustũ, vt ait scriptura: si respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, quę erant de optimis sui gregis. Si gratum habuit Abrahæ sacrificium, cũ pro Isaac immolaret arietem inter vepres cornibus hærentem, Si deniq; placuit eidẽ Regis Dauid sacrificium, & igne cælitus emisso ad illud concremandum: gratum esse sibi hoc ostendit indicio. Nonné longè gratius & acceptius erit illi hoc sacrificium laudis? in quo non tauri offeruntur aut arietes: sed filius eius vnigenitus, quem diligit,

Variæ huius sacrificij figuræ. *Gen: 8.* *Gen: 4.* *Gen: 22.* *2. Reg: 24.*

quem sibi dilectum esse testificatus est, qui quæ placita sunt ei fecit semper : quem misit in mundum propitiationem pro peccatis nostris, qui vnus totius humani generis est reconciliatio. Certè non potest ea oblatio sacra, Deo Patri esse non grata, si munus oblatum attenditur, aut ipsa sancta Ecclesia offerens, quæ neq; rugam habet, neque maculam : quod pretioso Christi Sanguine est sanctificata, & dilectissima eius sponsa.

Eph: 5.

Requisita in celebrante. 1. Recta intentio.

Verum vt eadem oblatio placeat Deo ratione ministri offerentis : ante omnia opus est, quòd recta intentione & syncera accedat sanctum altare, illam immolaturus hostiam. *Si enim oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidũ erit. Quod si oculus tuus fuerit nequam, totũ corpus tuum tenebrosum erit.* Nempè si ad quæstum & pecuniæ aucupiũ referat, præcipuè sacerdos suam intentionem, non habita ratione di-

Mat: 9.

uini honoris aut ſalutis animarum pro quibus offertur: ipſe tantum ac tale ſacramentum (quantùm in ſe eſt) venale proſtituit: Iudæ inſtitori infœliciſſimo perſimilis; qui accepta pecunia tradidit Dominum Iudæis. Sed is adhuc mortalem & verſantem in terris, ille verò regnantem in cœlis, & ſedentē ad dexteram Patris. Quare ſibi caueat ille ſacerdos, ne pecunia ſua illi ſit in perditionem, ne itidem Iudæ exemplo præcipitetur in æternum interitum. *Mat: 26*

Præterea inter ſacrificandum ita colligat animum ſacerdos: vt ſedulam habeat attentionem ad ea quæ pertractat myſteria: neque alio diuagetur ipſius mentis cogitatio, quod euagationes illæ animi ad ſæcularia negotia aut extranea opera nihil ad rem propoſitam facientia, & tepidiorem reddant animum & minus æquo ſuo officio intentum. *Muſcæ enim morientes* (vt teſtatur *Eccl:10.* 2. Attentio Animi.

Ecclesiastes) *perdunt suauitatem vnguenti.* Quantum ergo sinit humana fragilitas, enitatur sacerdos, cũ sacra facit, ad imitationem sanctissimi viri (qui se murum posuit pro domo Israel) Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, qui ita versabatur in altaris officio, ac si passionẽ Domini nostri corã se agi vidisset, vsq; adeo affixam habuit mentem tempore immolationis sacrificij illi sanctæ meditationi Dominicę passionis. Eadem itaque cogitatione armetur sacerdos sacra faciens, & illam intentissimo animo sibi infigat. Nullam certè sacratiorem aut accommodatiorẽ cogitationẽ posset eo tẽpore animo suo imprimere, quam quòd ea oblatio sit sacratissimæ Christi passionis assidua & iugis commemoratio.

S. Thomas Cantuariẽsis quam fuerit sacro attentus.

Cæterum si quispiam conqueratur sacerdos se tempore oblationis illius sacrificij etiam inuitum multis agitari euagationibus aliò mentem di-

Sacerdos distract' nõ debet esse abiecto animo.

tem di-

tem distrahentibus: non idcirco sit deiecto & prostrato animo, sed suã cognoscens infirmitatem, eam faciat maioris humilitatis materiam humiliansq; seipsum in conspectu Dei, petat adiutorium ab eo, qui non deserit sperantes in se.

Elaboret insuper pro viribus has volubilitatis animi muscas, hos cogitatuum strepitus manu diligẽtiæ & solicitudinis à se reijcere, & Dominus ipse talia conanti vires suggeret, & feret auxilium. Quemadmodum ipso Abraham offerente sacrificium, cum aues importunè aduolarent, & interturbarent eius oblationem: ipse solicita manu abegit eas, neque permisit ibidem quiescere. Sic sanè spiritualium nequitiarum sacerdotem infestantiũ reprimendæ sunt suggestiones, cùm sacra Deo facit. Muscę cogitationũ repellẽdę. *Gen. 16.*

Rursum in lectione eorum quæ ex instituto Ecclesiastico (cum offertur hæc salutaris hostia) à sacer- 3. Mediocritas in prolatione.

 dote legi

dote legi debent ad altare: ea ser-
uetur mediocritas, vt neque nimiũ
præceps & festina sit ea prolatio,
neque lentior æquo. Hæc enim fa-
stidium ingerit assistentibus atque
tædium. Illa vero intelligentiam
eorum quæ dicuntur, eripit: effi-
citq́; vt neque ipse qui legit, neque
audientes quicquam intelligant e-
orum, quæ proferuntur. Quod si
A simili. coram viris grauibus & magnæ au-
thoritatis habita oratio præceps &
nimis accelerata, datur vitio: & me
ritò reprehenduntur serui, qui suo
domino concitata nimium & præ-
cipiti lingua respondent: quid nõ
magis damnabitur & increpabi-
tur, ipsi supremo Domino facta o-
ratio cum properatissima linguæ
concitatione, velocissimaq́; volu-
bilitate.

4. In cerę-monijs grauitas. In cæteris itidem ad eandem per
tinentibus oblationem: vt in faci-
endis sacris, signaculis, & alijs my-
sterijs: neque nimia sit celeritas quę

irrcueren-

irreuerentiam, & indecentiam arguat, neque nimia tarditas aut cũctatio, quæ assistentes prolixitate offendat. Dictum siquidem est de Agno Paschali Iudæorum, quòd comedi debuit festinanter: quòd sanè præceptum & in Agno vero secundum Ecclesiæ ritum immolando obseruari debet: vt moderata offeratur celeritate, & celeri moderatione: & neque quid nimis fiat, neque minus quàm par sit. Exo: 12.

5. Omnis irreuerētia fugienda.

Demum totius rei hæc summa est, quòd in hac sacratissima altaris oblatione summoperè caueatur omnis negligentia, incuria, & irreuerentia. Nam illa ministrum graui obstringunt pœnæ. Si enim seruus piger domino suo mortali exhibens obsequium negligenter & oscitanter, non manet impunitus, quantò grauius punietur, qui in hoc celeberrimo ministerio, quod ipsi Deo præstatur immortali & supremo Domino, deprehenditur

negligens, incurius, aut oscitabundus?

Gentiles fuerunt in cęremonijs suis exacti.

Porrò Ethnici & Gentiles, vsq; adeò solicitam adhibuerunt curam cęremonijs & ritibus suis in Deorũ sacrificijs ad vnguem obseruandis, vt nonnunquam legantur aliquos sacerdotio abdicasse quod negligẽtes deprehensi fuerint, in sacris suo more faciendis, Vt enim refert Valerius, apud Romanos tres flamines sacerdotium deponere sunt coacti, quia parum diligenter, & minus debito ritu extra altaria admonuissent. Ob nullam etiam aliam causam Sulpitius sacerdotio priuatus scribitur, nisi quia inter sacrificandum apex illi è capite prolapsus est. Si itaque tanta seueritate animaduerterunt Romani in eos, qui minus æquo circa suorum Deorũ (immò verius dæmoniorum) cultum fuêre curiosi: quid agere debent Christiani sacerdotes circa vnius & veri Dei cultum? Nonné to-

Valerius Maximus de seruata religione capite.

Sulpitius quare sacerdotio priuatus fuerit.

tis eniti

tis eniti viribus, vt is quàm decentissimo fiat ritu, & negligentes graui plectere supplicio?

Sed & huiusce rei exemplum nobis sacræ proponunt literæ, de Nadab & Abiud filijs Aaron: qui arreptis (cum præcipitatione scilicet inconsiderata, & immoderata celeritate) thuribulis, obtulerunt ignem alienum Domino, quod eis præceptum non erat, & protinus vltricem Dei manum senserunt, subitaneaque morte puniti sunt. Quod si irreuerentia circa veteris legis ritus ac ceremonias tàm grauiter præsenteq; pœna mulctata legitur, quid putas meretur supplicij, qui circa nouæ legis sacra, & cultum altaris non eam præfert pietatem, curam & religionem quam exigunt: sed negligenter ea contrectant? Tantò sanè grauiorẽ is meretur pœnam, quantò sacratiora sunt noui testamenti quàm veteris mysteria. Tanto siquidem grauiori

Leu. 10. Præcipitationis pœna grauis.

culpæ

culpæ obnoxius est contemptus alicuius & despicientia, quantò dignior est, & excelsior is qui contemnitur & despicitur.

ORATIO ANTE MISSAM ex Blosio.

ADoro te & gratias ago tibi amantissime Domine Iesu Christe, pro innumeris beneficijs, donisq; tuis mihi indignissimo prẹstitis, omnia in te refūdo, & tibi offero in laudem æternam. Gratias ago pro incarnatione, natiuitate, infantia, pueritia, adolescentia, laboribus, ærumnis, passione, morte, resurrectione, & ascensione tua. Gratias ago quod me vilissimū peccatorem admittere dignaris ad splendidum, viuificumq; sacræ mensæ tuæ conuiuium. Bone IESV, per illum amorem, qui te incarnari, pati, mori pro me coegit, rogo te, vt ab omni peccato me planè emundes, & tibi per omnia placentem reddas. Exorna egenam animam meā meritis, & virtutibus tuis. Perficiam hoc purissime ad laudem, & gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimæ genitricis tuæ Virginis Mariæ, ad honorem

omnium Sanctorum tuorum, omniumq; bonorum Angelorum: ad salutem meam, ad salutem N, ad salutem omnium fidelium viuorum, & defunctorum. Miserere Domine, Miserere Ecclesiæ tuæ. Adesto omnibus, pro quibus pretiosum sanguinẽ tuum fudisti. Da viuis veniam, & gratiã: da fidelibus defunctis requiem, lucemque sempiternam. Tibi laus Christe IESV in secula seculorum.
Amen.

GRATIARVM ACTIO POST Missam ex eodem.

ADoro, & gratias ago tibi benignissime Domine IESV CHRISTE, qui me vilissimum peccatorem admittere dignatus es ad splendidum, viuificumque sacræ mensæ tuæ conuiuium: Hei mihi, quia nimis indignè compleui hoc sanctissimum sacrificium, miserere mei, ignosce mihi. Ego quod egi, commendo diuino cordi tuo emendandum & corrigendum. Suscipe quæso hæc sacrosancta corporis tui mysteria, quæ tibi offero ad gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimæ genitricis tuæ Virginis Mariæ, ad honorem omnium Sanctorum tuorum, omniumq; beatorum Angelorum: ad sa-

lutem meam, ad ſalutem N. ad ſalutem omnium fidelium viuorum, & defunctorum. Suſcipe hoc præcellentiſſimum Sacramentum in plenam emendationem, expiationem, atq; ſatisfactionem pro omnibus peccatis, & negligentijs meis, & pro peccatis totius mundi. Per illud inſtaura omnes ruinas meas ſpirituales, & ſupple omnem inopiam meam. Per illud mortifica in me quicquid tibi diſplicet, & effice me hominem ſecundum cor tuum. Per illud conforma ſpiritum, animam, & corpus meum ſpiritui, animæ, & corpori ſacræ humanitatis tuæ, meq́; totum luce diuinitatis tuæ illuſtra. Per illud largire, vt in te ſtabiliar, te perfectè, & perſeueranter diligam, intimè tibi vniar, ac totus in te tranſmuter ad laudem nominis tui. Conuerte Domine miſeros peccatores, reuoca hæreticos, atq; ſchiſmaticos, illumina infideles te ignorantes. Adeſto omnibus, qui in tribulatione, & neceſſitate aliqua conſtituti ſunt. Adeſto ijs, qui ſe precibus meis commendarunt, aut commendati eſſe cupiunt. Adeſto parentibus, propinquis, & benefactoribus meis. Miſerere omnium, pro quibus ego orare debeo, & tu rogari vis. Da viuis veniam, & gratiam. Da fidelibus defunctis requiē, lucemq́; ſempiternā. Tibi laus Chriſte IESV in ſecula ſeculorum. Amen.

IN LE-

IN LEGENDIS HORIS CA-
nonicis & diuino officio celebrando, magnam deuotionem à sacerdotibus adhibendã esse.

CAPVT XIV.

PRæter hæc debent ipsi sacerdotes Deo quotidianum pendere tributum legendo horas canonicas, ad quas ex decreto, & instituto Ecclesiastico nemo eorum se nescit astringi. *Septies in die* (inquit Propheta in Psalmo) *laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.* Vt enim nautæ munus est nauem per fluctus & procellas agere, & militis certare in acie: agricolæ verò terram vomere, proscindere, imò cuiusque opificis quæ suæ sunt artis opera exercere, quò quotidianum quæritet victũ: ita sacerdotis est officium, quotidiana horarum lectione Deo famulari: & pro eo famulatu exhibendo, Ecclesiastico ordini insertus

Recitatio horarum est quotidianum sacerdotũ tributũ.

Psa: 118

Congeries pariũ.

est, vi-

est, vitæq; præsentis recipit stipendia, victum inquam & amictum ex fructibus & emolumentis Ecclesiasticis prouenientem. Si enim miles stipem non recipit nec salariũ: nisi exerceat militiam, & in hostem arma ferat: an erit sacerdos ociosus & oscitans: & stipendia recipiet sine aliquo opere, quod quotidie impendat Deo?

Horæ nũquã sunt intermittendæ.

Illud autem opus nunquam intermittendum est, horarum canonicarum lectio. Quam si sacerdos faciat priuatam, & non in communi sacerdotum cœtu atque publico loco cũ alijs eas decantet: sed priuatim legat, aut in templo aut domi, summoperè studeat illas vno in loco consistens cum attentione absoluere: & non diuagetur ambulando vltro citroque, nunc in vnã domus partem, nunc alteram, neq; simul quidpiam alterius negotij agitet & pertractet: quoniam hæc corporis in diuersa loca inter legen-

Horę quietè sunt absoluẽdæ.

dum tra-

dum traductio, aut alterius pariter operis actio, maximè suggerit materiam & occasionem euagationis animi, quæ plerunq; tollit fructum orationis. Agitatio enim illa, & mobilitas corporis in varia loca (cum horarum absoluitur lectio) aut alienæ cuiuspiam rei contrectatio, & opus animi non satis apud se constantis, nec in oratione omnino (vt par esset) collecti, præstare videtur argumentum. Neque illud meum est, sed Domini præceptum dicentis apud Mat: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quod quidē verbum, licet à nonnullis spiritualiter intelligendum censeatur: subeundum scilicet esse cordis secretū, cum orationem Deo fundere volumus: & carnalium sensuum phantasmata (quæ se importunè ingerunt animo, & orantibus obstre- *Mat. 6.*

punt)

punt) esse inter orandum seclu-denda: attamen corporaliter etiã intelligi debet & sensibiliter, vt litera ipsa sonat, quoniam nisi secretus deligatur locus, & clauso ostio fiat oratio in abscondito, vix secretum cordis tenere quis poterit: aut importunos cogitatus abigere, quod continuè noui se nobis obijcient. Itaque loci solitudo cum orationem legimus, ad mentis solitudinem magnopere confert, & sine illa vix hæc poterit vnquam haberi.

A simili. Certè si Regem, aut Principem terrenum alloqueretur sacerdos, vno in loco consistentem aut residentem in solio sublimi, non se inter loquendum nunc in vnũ transferret locum nunc alium, sed fixo gradu vno in loco sese contineret sacerdos, donec orationem, aut legationem suam absolueret: non etiam cum verba faceret ad augustæ maiestatis Principem, simul aliud

moliretur opus, aut quidquam alterius negotij manibus contrectaret, sed cum summa totius corporis trãquillitate orationi dicendę, totam suam operam intenderet. Omnis autem sacerdos suas legens horas, cum Deo loquitur, & ad eũ verba psalmorum, ac orationem dirigit. Cur igitur præsentem sibi Deum constituens, qui nusquam abest, non eam impendit reuerentiam illi & venerationem cum suas legit horas, quam exhiberet principi mortali cum quo verba faceret? Conqueritur planè de hac inhonoratione Dominus, per Malachiam Prophetam dicens. *Filius honorat Patrem: & seruus Dominum suum. Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituũ.* Formidandum etiam est valde, ne in illis sacerdotibus deambulando per omnes domus vias, aut aliud simul negotium agendo suas horas

Applicatio.

Comminatio in negligenter orãtes *Mal:* 1.

legentibus, locum habeat: quod dicit Dominus per Esaiam Prophetam. *Appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me: cor autē eius longè est à me.* Audiant igitur venerabilem Patrem Bedam ita illos admonentem. *Notandum interea, quòd hæc orandi pertinacia ita demum meretur esse fructifera, si quod ore precamur, hoc etiam in mente meditemur: neq; alio clamor labiorum quàm cogitationum scindatur intuitus. Sunt enim qui intrantes Ecclesiam multis Psalmodiam vel orationem sermonibus perlegunt, sed alibi corde intendentes: nec ipsi quid dicant recolunt. Ore quidem orantes, sed mente foris vagantes omni se orationis fructu priuant, putantes à Deo precem exaudiri: quam nec ipsi qui fundant, audiunt.* Hæc ille. Quodsi quietè vni immorantes loco & soli horarum lectioni intenti, plerumque patiuntur hanc, quæ damnatur, animi euagationem; quomodo non magis eam sustinebunt, qui

Esa: 12.

Beda in homilia Euangelij de muliere Chananea.

diuerſa ſpectacula oculis obiecta videntes per aſſiduam deambulationem, aut aliud ſimul cum horarũ lectione expedientes opus, vix mẽtem aptè colligere queant, aut ad orationis attentionem, liberè conſtringere?

Cum verò in choro ipſo templi & penitiore ſacratioreq́; loco decantantur horæ canonicæ per conuentum atque conceſſum ſacerdotum: illic & ſumma honeſtate & modeſtia opus eſt, & vt habitus ipſe oris, & geſtus corporis & tenor vocis nihil indecorum habeat, nihil inconcinnum, nihil inhoneſtũ, ſed omnia religioſam moderationem, reuerentiam in Deum atque pietatem præferant, & ſapiant. Hoc ſiquidem pacto, aſſiſtentes diuino officio laici, & plebs ſancta prouocabitur ad deuotionem, ſynceriorémq́; in Deum affectum, cùm pſalmodiam ſanctam audiuerit & omnem Eccleſiaſticam modulationẽ

In choro modeſtia eſt ſeruãda.

Laici ędificãtur modeſtia ſacerdotũ,

grauiter, maturè, moderatèq; fieri.

S. Augustin⁹ quã fuerit effusus in oratione

Quemadmodum de Beato patre Augustino legimus: quod Ecclesiastico assistens officio à pijs lachrymis temperare non potuit, sed flebat vberrimè in hymnis & canticis, suauesonantis Ecclesiæ vocibus vehementer affectus. Voces autem illæ influebant auribus eius, & eliquabatur veritas in cor eius. & fluebant lachrymæ, & bene illi erat cum eis. E diuerso, si inter cantandum habeantur à nonnullis ibidem vana colloquia & confabulationes: quæ interstrepant cantantium vocibus, si risus fiant effusi, si moueantur cachinni ab vno in alterum: quid hæc sunt nisi irreuerentiæ & irreligiositatis in Deum signa? An hæc Deo grata est psalmodia & vocum modulatio, ea leuitate facta, quam erubescerent ostendere in conspectu magni principis aut viri insignis? At non verentur eam gesticulationem scæni-

Laici scãdalizãtur sacerdotũ colloquiis in templo.

cam mo-

cam more mimorum agere in conſpectu Dei coram ſancto altari, coram ſanctis & incontaminatis myſterijs: quoniam non eſt timor Dei ante oculos eorum.

Hæc autem ludrica, & indiſciplinata morum genera, ſcommata, ſannas & ludibria, à ſacerdotibus in templo fieri conſpicientes laici: quomodo incitabuntur ad deuotionem, mentiſq́; in Deum erectionem? Certe ſi qua fuerit eis prius deuotio, remittetur protinus & elangueſcet, mens eorum deprimetur, & peſſum ibit. Scandalizabũtur quam plurimum ex incompoſitis huiuſmodi moribus: aut exẽplo ſacerdotum diſcent & ipſi intra templi ſepta (cum ſacra aguntur myſteria) miſcere colloquia, narrare fabellas, riſus excitare, ſtrepitu, tumultu & ſuſurro omnia perturbare. Id enim ſibi licere argument: cum ſacerdotes talia in propatulo & palam facientes vident, e-

osq; vt duces sequuntur.

Libro tertio de Virginibus.

Sed & sanctum Ambrosium audiamus, hæc de silentio & taciturnitate in audiendis diuinis officijs seruanda præclare monentem.

Luc: 2.

Conseruabat, inquit Maria (vt legimus) *omnia in corde suo, quæ de filio dicebantur. Et tu cum legitur aliquid, quo Christus aut venturus annunciatur aut venisse ostenditur, noli fabulando obstrepere, sed mentem admoue. An quidquam est indignius quam diuina oracula circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur? circumsonare sacramenta confusis vocibus, vt impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferunt.*

Pulchrũ exemplũ Pueri reuerentis Regem.

Vnde illud exemplũ proditur, Alexandro sacrificante Macedonũ Rege, puerulum barbarum qui ei lumen accenderat, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mãsisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pænam

indicasse

indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret: atque ille non Deos, qui nulli erant, sed Regem timebat, quid enim timeret eos, qui si idem ignis eos contigisset, arsissent? Deinde paucis interiectis subiungit. *Frequens sermo est cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, vt conticerent, ac reuerentiã sacræ deferrent orationi: tunc subito circumfusos strepitus quieuisse, silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationale animal per reuerentiam recognoscit, quod per naturam ignorat hominũ tantam esse immodestiam: vt pleriq; deferre nesciant mentem religioni: quod deferunt aurium voluptati.* Hæc ille. Itaq; si merito damnantur vana colloquia, & voces laicorum, obstrepentes in sacro Dei templo, cũ diuina celebrantur mysteria quoniam domus Dei, domus orationis est, illi verò faciunt eam confabu-

Ranæ ex præcepto silent.

Esa. 59

latorium & deambulationis ociosę locum, potiore profecto iure reprobanda est immodestia sacerdotum: qui concinentes sacrorum eloquiorum sacramenta, simul risũ miscent & verba inania. Caueant ergo sibi, ne Christus facto de funiculis flagello seuerę punitionis, eijciat eos demum templo cælestis Hierusalem, vt suo indignos consortio: quemadmodum vendentes & ementes olim de templo materiali vrbis Solymę exturbasse legitur, & cum indignatione repulisse.

Cautio pro sacerdotibus necessaria.

Ioan. 2.

ORATIO ANTE DIVINUM officium.

APeri Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum, munda quoq; cor meum ab omnibus vanis, peruersis, & alienis cogitationibus: Intellectum illumina, affectum inflamma, vt dignè, attentè, ac deuotè hoc officium recitare valeam, & exaudiri merear ante cõspectum diuinæ maiestatis tuæ. Per Christum Do-

ſtum Dominum noſtrum. Amen.

Domine in vnione illius diuinæ attentionis, qua ipſe in terris laudes Deo perſoluiſti, has tibi horas perſoluere incipio.

In ipſo diuino officio conabitur ſacerdos recitare horas.

Primo.

Pura mentis eleuatione.	*Intellectualiter, quia ſtas in conſpectu*	*Æterni Iudicis. Angeli Cuſtodis. Inimici tui perſequentis.*

Secundo.

Plena cordis attentione.	*Affectualiter deſiderando vt*	*Deus laudetur. Cæleſtis curia lætetur Totus mundus iuuetur.*

Tertio.

Perfecta oris pronunciatione	*Integraliter vt nihil*	*Prætermittas dicendum Super addas inordinatum Hinc inde tranſponas.*

Hæc breuius ſequenti comprehenduntur Diſticho.

Cum Domini sacras humilis recitaueris horas,
Dirige cor sursum, bene profer, percipe sensum.

QVod si quis voluerit ad maiorem animi sui consolationem & deuotionē excitandam in horarum recitatione, vel saltim in fine Psalmi circa versiculum, Gloria Patri. considerare ipsa Passionis Domini Nostri mysteria, propter quæ Ecclesia instituit septem horas Canonicas recitare poterit, hæc piè meditari inter recitandum.

I. Circa Matutinum, Repræsentet sibi Christum ligatum.
II. Circa Primam. Christum sputis repletū.
III. Circa Tertiam. Christum condemnatum.
IV. Circa Sextam. Christum Cruci affixum.
V. Circa Nonam. Christi latus apertum.
VI. Circa Vesperas. Christum de Cruce depositum.
VII. Circa Completorium. Christum sepultū.

QVæ omnia vt facilius retinere possit sacerdos, sequentes notabit versus.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit, latus eius Nona bipertit
Vespera deponit, tumulo Completa reponit,
Hæ sunt septenis propter quæ psallimus horis.

Post di-

Post diuinum officium.

SAcroſanctæ, ac indiuiduæ Trinitati, Crucifixi IESV Chriſti Domini noſtri humanitati, & Beatiſſimæ & Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ fœcunditati, & integritati, ac omnium Sanctorum Sanctarumq; vniuerſitati, ſit ſempiterna laus, honor, virtus & gloria ab omni creatura, nobiſq; remiſſio omnium peccatorum, nunc & ſemper & per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

BEata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium, & Beata vbera quæ lactauerunt Chriſtum Dominũ. Pater noſter. Aue Maria.

Diuinum auxiliũ maneat ſemper nobiſcũ. Amen.

QVOD HVMILITATE ADORnatus eſſe debeat ſacerdos: qua omnem ambitionem & gloriæ appetentiam à ſe repellat.

CAPVT XV.

PRæter ſupradicta virtutum officia, quæ in exhibendis Deo obſequiis aut ſalutaris hoſtiæ oblatio-

ne, aut horarum lectione, aut psalmodia in tẽplo præstanda sunt: & alia virtutum ornamenta exposcuntur, quæ sacerdotem in seipso perficiant, reddantque vitam ipsius apud Deum & homines commendabilem.

Humilitas est basis & fundamentũ in sacerdote.

Harum autem fundamentum & basis est humilitas, quæ faciat sacerdotem, in oculis suis non superbe sapientem, sed humiliter de se sentientem, suique contemptorem. Sanè hanc non difficile complectetur virtutem, atque sui despicientiam, si exemplum sibi proponat Christi summi sacerdotis, quem potissimum imitetur: qui humiliauit semetipsum, formam serui accipiens, cum in forma Dei esset & omnium Dominus emineret: qui exinaniuit semetipsũ, inclinauit cælos & descendit. Discat ab eo, vt æternæ vitæ consequendæ magistro, quia mitis est & humilis corde, quod & omnia eius

Quomodo sacerdos sibi comparabit humilitatem. *Phil: I:*

produnt

produnt opera. Non enim veni ministrari, sed ministrare, & in medio discipulorum suorum erat sicut qui ministrat, quin imò & pedes eorum officiosa humilitate abluit exemplumque dedit nobis vt quemadmodum ipse fecit ita & nos faciamus. Hæc vna est vera humilitatis imago pulchris depicta lineamentis & viuo colore expressa, in quam quicunque conuertunt oculos clarè perspiciunt quid ad illius imitationem faciendum & quomodo efformandum ipsius exemplū.

Mat:11.

Ioan:13. Christus imago vera Humilitatis.

Hæc itaque virtus in ipso sacerdotis vultu, gestu, incessuque eluceat, grauitati & maturitati coniuncta. Hæc itidem in vestibus citrà nimium nitorem & ornatum innotescat, seruato semper sui ordinis decoro. Hæc denique in tota domus supellectili, absque pompa & luxu clarè legatur. Non radient gemmis eius digiti, nec annulis ornentur, nisi idipsum dignitas ec-

Sacerdos in omni re præ se ferre debet humilitatē.

Sacerdotes nō debēt fulgere gemis.

cleſiaſtica de more expoſtulet, quoniam neſcio quid muliebre ſapit ille in digitis conſpicuus annulorum fulgor, præſertim multo ſtudio exquiſitus. De Alexandro Seuero Imperatore Romano meminerunt rerum ſcriptores, quòd inter præclaras virtutes ſuas & multas & magnas, procul omni pompa & ambitione vitam egit, vnde ſemel tantum dum conſul eſſet, picta toga vſus eſt. Gemmas reiecit vt res muliebres, dictitans in Virgilio & plures & meliores gemmas eſſe. Itaque illius exemplo, quamuis à vera religione alieni ſtudeant ſacerdotes animam potius virtutibus, quàm corpus nitido amictu adornare. Non eos tangat gemmarum cura: neque moueat ſplendor annulorum, ſed perſuaſum habeant in ſacris literis longè precioſiores quàm hic feret mũdus gemmas ineſſe: quas ſtudioſe perquirant, & ſibi ad decorem aſſumant.

Alexãdri Imperatoris humilitas.

ſumant. Solæ ſiquidem illæ gemmæ eorum decent gradum & ſortem.

Hæc denique virtus, quam prædicamus, humilitas inquam, & modeſtia ſacerdotem intra ſuam contineat pelliculam, neque eum exagitari ſinat immoderata altioris dignitatis appetentia, aut cathedræ ſublimioris ambitione. *Nemo* (inquit Paulus) *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Expectanda certè eſt in adeundis illis honoribus diuina vocatio, per canonicam electionem ab hominibus factam inſinuata. Et hoc modo vocatus ſacerdos, prodeat ad ſubmittendos eccleſiaſticæ gubernationi humeros. Quod & ſacer Dionyſius in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia his edocet verbis. *At verò ſanctam conſecrationem, & eorum qui ſacrantur prædicationem pontifex reſonet, id inſinuante myſterio quòd ſacrator ille diuinus, diuinæ eſt electionis*

Sacerdotibus euitanda eſt Ambitio

Heb: 6.

Dionyſii ſententia de vocatione ſacerdotũ.

expoſitor,

expositor: non ipse sua gratia promouendos ad sacros ordines ducens, verum afflatu Dei, quo in omnibus sacris officiis agitur. Ita Moyses legalium ceremoniarum promotor, neque fratrem Aaron ad sacerdotale munus iungit & quidem Deo charum & sacerdotio cum non ignoraret esse dignissimum donec ad id diuinitus agitatus sub Deo principe sacerdo-
Heb. 5. talem consecrationem pontificaliter cōsumauit. Ipse quoque noster augustissimus & primus pontifex (& hoc enim propter nos fieri voluit benignissimus Iesus) non seipsum glorificauit vt scriptura ait, sed qui locutus est ad eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quocirca & ipse discipulos ad sacerdotalem functionem promouens: & quidem cùm esset mysteriorum princeps (quippe cum Deus) ad patrem tamen sanctissimum diuinumque spiritum, huiusmodi consummationis offici-
Acto: 5. um refert discipulos (vt legimus) admonens ne ab Hierusalem discederent, sed expectarent promissionem patris,

quam

quam audistis ex me: quia vos baptizamini in Spiritu sancto. Cum ipse quoque supremus discipulus cum æquali sibi sacerdotali decade, ad sacrum duodenarium discipulorum numerum perficiẽdum esset progressus, Deo reuerenter electionis permisit munus, ostende (inquiens) quem elegeris, eumque quem diuina declarauerat sors, in duodenarium suffecit sacratissimum numerum. Hæc Dionysius.

Porrò quam displiceat Deo sacerdotalis ambitio, declarat horrenda plaga diuinitus illata ipsi Chore, Dathan & Abiron, qui repẽtino terræ hiatu viui sunt absorpti cum omni substantia sua. Insuper ducenti & quinquaginta viri eiusdem coniurationis conscij, offerentesq; incensum præter officium suum, igne cælitus immisso simul consumpti sunt, animaduertitque in omnes vltrix ira Dei, vt ne vnus quidem eorum superstes remanserit. Nullum item facinus adeò suis

Deo displicere Ambitionem probatur Exẽplis de Chore & Dathan. *Nũ*: 16. 2.

De 250. viris igne consumptis.

Varijs probatur exẽplis Ambitionẽ nocuisse Ecclesiæ.

nocet authoribus, aut Ecclesiæ Dei grauius infert dispendium, quàm hæc execrabilis Ecclesiasticæ dignitatis ambitio. Siquidem cùm Iason, Menelaus, Lysimacus viri scelesti & sacrilegi, circa tempora Machabæorum ambiebant summum sacerdotium, & ipsum pecunia à Regibus Syriæ comparabant, ipsa synagoga propemodum ad exterminium est deducta, & omnes illi dignum suis conatibus exitum, funestum & miserabilem habuerunt.

1. Exemplũ de Iasone Menelao *2. Ma:4.*

2. Exemplũ de Aristobolo & Hyrcano.

Paulo post Aristobolus & Hyrcanus filij Alexandri Regis Iudæorũ post mortem Alexandri patris eorum inter se diffidentes & belligerantes pro regno & summo sacerdotio (vt author est Iosephus libro antiquitatum Iudaicarum decimoquarto) Pompeium magnum solicitarunt in obsidionem vrbis Solymæ, & templi expugnationem, qui & totam Iudæam prius liberã reddidit Romanis tributariã. Cũ-

que

que Christus Dominus noster in terris diuersaretur. Annas & Caiphas alternis annis vendicantes sibi summum sacerdotium, pecunia Romanis Principibus persoluta, extremum synagogæ intulerunt interitum. Abiecerunt enim diuinam sanctionem, qua constituerat Deus summum sacerdotem sola morte mutandum, & in illa administratione filium patri debere succedere. Hi verò ambitione excęcati annuum iam fecerant sacerdotium, & simoniaca labe numerataq; pecunia comparandum: & certè non multo post tota synagoga cum suis sacerdotibus & templo interijt. 3. Exemplũ de Anna & Caipha.

Sed & Ecclesiæ Christi nulla pestis exitio maiori fuit, aut grauiora attulit incommoda quam hæc execranda ambitio. Siquidem Arrius infelix ambiens summum Ecclesiæ Alexandrinæ sacerdotium, ægrè ferens animo Alexandrum virum optimum in ea sede sibi prælatum, 4. Exemplũ de Arrio.

vt nar-

Historia tripartita lib. 1: vt narrat historia tripartita libro primo: dum inuidiæ stimulis agitatus, salutari illius doctrinæ studuit contradicere, hæresim pestiferam suscitauit à suo nomine dictã: quæ maximam in Ecclesia & diuturnam excitauit perturbationem, tandem diuino percussus iudicio, morte suis operibus digna, sublatus est. Præterea Nouatus presbyter Romanus, cupiditate summi pontificij instimulatus, schisma & scissuram contra Cornelium virũ sanctum & legitimè electum intulit Ecclesiæ. Verum sua fraudatus spe, author fuit hæreseos Nouatianæ, quæ negabat apostatas Christique desertores, postea tamen resipiscentes, ad pænitentiam esse recipiendos. Ob quod iustè ab Ecclesia separatus est, & ipsius vesana impietas publico patrum consilio damnata, quòd diuinæ misericordiæ fontem præcludere pænitentibus attentarit, ad dandam peccatorum

5. Exemplũ de Nouato.

torum veniam petentibus, ſemper paratam, quemadmodum refert Euſebius hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro ſexto. Demum Paulus Samoſatenus Epiſcopus, intolerabili ſuperbia fuiſſe in ipſo inceſſu, ſermone & operibus ſuis conſcribitur; vt latentem animi faſtum & tumorē exteriora indicia apertè declararint. Qui diuino deſtitutus præſidio in hæreſim incidit negantem filium Dei deſcendiſſe de Cælo, & ante Mariam virginē fuiſſe. Ob quod vltimo concilio Antiocheno damnatus eſt, Eccleſiaque & ſede ſua Pontificali expulſus, vt latè proſequitur Euſebius Cæſarienſis. Et vt paucis abſoluam, omnia ſchiſmata quæ ſanctam Eccleſiam dilacerarunt, ex cathedræ ſacerdotalis ambitione cæca, vt virulenta radice, pullularunt.

Euſebi⁹ lib:1. in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica.

6\. Exemplū de Paulo Samoſateno.

In Eccleſiaſtica hiſt:lib:1

LIBERALITATI EXERCENdæ intentum debere eſſe ſacerdotem, & ab omni auaritia cupiditatèque pecuniæ ſibi cauere.

CAPVT

CAPVT XVI.

Hvmilitati verò animi sacerdotem vt humiliter de se sentiat & in omnibus modestiam seruet, dirigẽti, annexa debet esse liberalitas, ad subleuandam pauperum inopiam officiosa: & propensa animi promptitudo ad succurrendum alienæ necessitati in sacerdotibus potissimum requisita, quod ex beneficijs Ecclesiasticis prouenientia annua emolumenta debent partim in vsus pauperum erogare, & ad hoc dispensationem susceperunt teste B. Ambrosio, dicente. *Aurum Ecclesia habet, sed vt eroget & subueniat in necessitatibus.* Cui accedit B. Hieronymus inquiens. *Gloria Episcopi est pauperum opibus prouidere: ignominia sacerdotis est, propriis studere diuitijs. Proinde qui in pauperum subsidium relictos amplos sui sacerdotij fructus in proprium accommodant vsum, nihil*

Sacerdotes debẽt esse liberales.

1. Probatur ex S. Ambrosio libro de officijs.

Hieronimus.

pauperibus

pauperibus (vt debent) dispartientes, iniquæ dispensationis arguentur à Domino. Vox pauperum (quos suis fraudāt stipendijs) clamat ad Dominum de terra, & clamor eorum in aures Domini sabaoth introiuit. Quod ipsius Hieronymi comprobatur testimonio, dicentis. *Amico rapere quidpiam furtum est: Ecclesiam fraudare, sacrilegium est: accepisse pauperibus erogandum, & esurientibus plurimis illud reseruare vel cautum vel timidum est, aut quod apertissimi sceleris exinde aliquid subtrahere, tandem omnium prædonum crudelitatem superat.*

Iacob: 5.

2. Probatur ex S. Hieronimo. *Iacob: 5. Hiero: 12. q. 2.*

Quid (oro) beatum Nicolaum Myrrhensem Episcopum, & sacerdotalis ordinis decus eximium, reddit seculis omnibus admirandū? nisi quod effusa habuit in egenos & pauperes viscera pietatis, quibus larga manu eleemosynas erogabat Quid item sanctum Martinum Turonorum Archiepiscopum efficit toti mundo celebrem, & tantope-

Exempla liberalitatis. 1. Sancti Nicolai liberalitas.

2. S. Martini Turonorū Ar-

re com-

chiepisco pi liberalitas. re commendabilem? nisi quod inter cætera virtutum officia studiosus fuit alienæ necessitatis subleuādæ: atq; vt laicos vestiret, seipsum interdum proprijs exuit indumentis. Vnde & illius eleemosynas enarrabit omnis Ecclesia sanctorū. *Ecclesi:*

Sancti Paulini liberalitas. Neque Paulinum Nolanæ vrbis Episcopum sanctitateque venerabilem, silentio prætereundum cēseo, qui cum distributis omnibus bonis suis in pauperum sustentationem nihil reliquum haberet, quo pauperis viduæ filium captiuum redimeret, seipsum vendi passus est, ac tradi in manus Barbarorū, vt desolatæ viduæ filius liberaretur *S. Gregorius in suis dialogis* Gregorius. Itaque deductus in exteram regionem, domino suo cui venditus fuerat, licèt Gentili & Barbaro fideliter obsequium impendit, more sancti patriarchæ Ioseph, & colendis hortis industriam *Gen:39.* adhibens ac diligentem operam, gratiam in oculis eius inuenit.

uenit. Tandem à ſuperuenientibus in eam regionem amicis fortè recognitus, quantuſque & qualis eſſet Domino ſuo declaratus etiam viſionis diuinitus oſtenſæ inditio, continuò ab eo manumiſſus eſt, ac libertate donatus. Quinimò Dominus ille etiam futurorum circa ſe ab illo admonitus ipſum liberũ cum ſummo honore ad proprios fines remiſit. Simul & captiuos omnes Chriſtianos, qui in ſuo principatu vincti tenebantur eius gratia & fauore ſoluit à vinculis, & liberos nullo perſoluto pretio, cum eo abire iuſſit. Ecce vnus in captiuitatem ſe tradidit, vt fratrem redimeret: & ipſe tandem captiuitate liberatus, cum multis itidem carcere ſolutis eſt reuerſus in natale ſolum.

Hæc ſanè eſt liberalitatis & miſericordiæ retributio à Deo, cui gratiſſima eſt hæc virtus: quòd cũ modicum aliquid ad proximi ſu- Deus refundit liberaliter.

bleuationem impartimur, multò amplius etiam in hac vita à cælo plerunq; recipimus. Teſtis eſt propoſitæ rei vidua illa Sarreptana, quę cum Heliam Prophetam ſuſcepiſſet hoſpitio, farinæ ſuæ & olei percepit multiplicationem ad victum quotidianum, & filium ſuum extinctum recepit rediuiuum. Teſtis eſt mulier illa Sunamitidis, Heliſæi hoſpita, cui ſanctus Propheta filiũ obtinuit, cum antea fuiſſet ſterilis, & eundem mortuum vitę reſtituit. Deniq; teſtis eiuſdem propoſiti eſt Tobias, qui cum in captiuitate poſitis contribulibus ſua libens impartiret, & mortuis ſepulturam ſedulò impenderet, Angelico ductu reducem filium incolumem, locupletemq; recepit, ademptumq; ſibi iã pridem oculorũ vſum recuperauit.

1. Probatur exemplo Sarreptanæ. 3. *Reg*: 17.

2. Probatur exemplo Sunamitidis. 4. *Reg*: 4

3. Probatur exemplo Tobiæ. *Tobiæ* 12

Ex oppoſito verò ſacerdotes, qui aliorum directionis, paſcendique gregis dominici curam ſuſceperunt, & tantũ quę ſua ſunt quęrunt,

Grauis Paſtorum ſua propria quærẽtiũ cõminatio.

runt, non quæ Iesu Christi, multū à suo aberrant officio, & graui interminatione increpantur à Domino per Ezechielem Prophetam. *Væ, inquit, pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos.* Et rursum ad illos. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum erat non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis: quod confractum est non alligastis, quod abiectum est, non reduxistis, quod perierat non quæsistis. Et dispersæ sunt oues meæ, eo quod non est pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarū agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret.*

Nonnullos itidem est inuenire sacerdotes, qui pastorali cura suscepta gregem suum ad cutem vsq; attondunt, & lac penitus emul-

gent, nouas exactiones persoluẽdas pro suo (vt aiunt) iure, suorum humeris imponentes, & insolitis vectigalibus eos prementes. De quibus conqueritur Dominus per Hieremiam Prophetam: *Væ inquit, pastoribus, qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israël ad pastores, qui pascunt populum meum. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.* Rursum per *Ezechielem terribiliter inclamat. Propterea pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam vt vltra non pascant gregem meum: nec pascant pastores amplius semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam. Ecce ego ipse requiram oues meas.*

Alia grauis comminatio.

Eze:33.

Persimiles sanè sunt huiusmodi sacerdotes flagrãtes cupiditate pecuniæ, & quæ Dei sunt negligen-

Sacerdotes auari similes

tes,

tes, ipsis filijs Heli, de quibus dicit scriptura, quod *erant filij Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum.* Non enim erant contenti habere partem hostiæ immolatæ secundum diuinam constitutionē: sed per puerum missa fuscinula tridente in lebetem decoquentem carnes immolandas, quidquid illa leuabat sibi tollebant. Rursum antequam sacrificantes adolebant adipem, misso puero extorquebāt ab illis carnem crudam, nolentes exspectare quoad illa decoqueretur, & pro more offerretur. Ob quam violentam exactionem atq; extorsionem, & homines à sacrificio Dei deterrebant ac auertebant: & grauem Dei indignationem super se suscitabant, quam & eorum probauit exitus. Vno enim eodemque die ambo contra Philisteos in acie pugnantes, eorum gladio cæsi sunt. Sunt filijs Heli. 1. Reg. 2.

Persimiles item sunt huiusmodi

Mat: 15. Sacerdotes auari sunt simi les Scribis & Pharisæis. *Mat: 23*

sacerdotes Scribis & Pharisæis: qui diuersas confinxerunt traditiones, legi diuinæ contrarias, ad pecuniæ aucupium, vt potius faciendam etiam oblationem in templo, quam parentibus succurrendum, iurantem per templum aut altare, non incurrere peccatum, neq; illo constringi iuramento: iurantem per aurum, quod est in templo: aut bonum quod est in altari, obligari ad aurum illud aut donum offerēdum, vt ea tandem oblatio cederet in eorum vsum atque lucrum, emptionem & venditionem eorum (quæ ad sacrificia attinebant) licitam etiam in templo: & multa id genus talia: quæ ex Euangelica lectione dilucidè constant.

Scribarū & Pharisæorum Auaritia ruina fuit synagogæ. *Mat: 21* *Mat: 23.*

Verùm hæc Scribarum & Pharisæorum auaritia deuorantium domos viduarum, per hypocrisin & simulatam longæ orationis studioso sanctitatem, in causa fuit ruinæ ipsius synagogæ, quæ haud

mul-

multò post facta est: haud aliter ominari licèt ad inuētiones nouas, quæ à sacerdotibus fiunt ad pecuniæ quæstum hac tempestate, qua (vt ait Hieremias) *à minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student*, & à Propheta vsque ad sacerdotem cūcti faciunt dolum, & exactiones insuetas ad resarciendam crumenam excogitatas præsagire lapsum & ruinam Ecclesiæ catholicæ. *Hier. 6.*

Fertur olim fuisse oraculum apud Græcos Delphis, acceptum ab Apolline Pythio, vt author est Cicero in secundo Officiorum libro Spartam, Laconicæ Regionis vrbem celeberrimam, nulla re alia, nisi auaritia esse perituram, Ego verò longè verius Delphicis tripodibus & cortinis credo esse oraculum, Ecclesiam Dei auaritia ruituram atque perdendam, quod ex ea omnia mala suboriuntur, & inualescunt in Ecclesia Christi, secundum illam beati Pauli sententiam: *Cic. in 2. Officiorum libro.*

1.Tim:6 *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.*
Eccl: 10 Cui consonat Ecclesiasticus dicens: *Auaro nihil est scelestius: & nihil est iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua.*
Malitia Auaritiæ in clericis. Quod si hæc flamma gehennæ & auri sacra fames, in laicis & secularibus viris exercentibus negotiationem est meritò damnanda, quãtò magis in sacerdotibus, & diuino mancipatis officio? in quibus si semel medullitus hæserit omnia sacra prostituit venalia, cruces, altaria, templa, animas, pro quibus mortuus est Christus, negligit, quæ spiritualia sunt officia nequaquam curat, sed soli inhiat pecuniæ congerendæ, satyricum illud continuò
Iuuena: suggerens, *lucri bonus est odor ex re qualibet.* Et cum nemo militans
1.Tim:2. Deo implicet se negotijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit,

sacer-

ſacerdotes militiæ Dei aſcripti, & Eccleſiaſtica cauponantes miniſteria, longè deterius agunt, quam ſi negotijs ſecularibus ſe implicarent.

Verum noſtra tempeſtate videtur illud oraculum de ruina Eccleſiæ, per auaritiam futura, propemodum habere locum & veritatẽ, cum hæc inferna palude egreſſa tabes, in ſummum ferè nunc excreuerit, & ſuam impleuerit menſuram, oſtendaturque planè nunc verum eſſe quod ait Eſaias. *Omnes in viam ſuam declinauerunt: vnuſquiſque ad auaritiam ſuam à ſummo vſque ad nouiſsimum.* Et quòd Paulus ad Philippenſes ſcribens conqueritur. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.*

Latè patet Auaritia.

Eſa: 65.

Phil: 2.

ABSTINENTIAM ET SOBRIetatem in ſacerdote maximè requiri cum ſacra tempore conuiuij lectione, & conuerſationis cum laicis deuitatione.

CAPVT XVII.

Comẽndatur ſacerdotib⁹ ſobrietas per varia exempla ſcripturæ

PRæterea ſacerdotali ordini adſcriptum virum maximè decet abſtinentia & ſobrietas, in cibo & potu moderationem & mediocritatem ſeruans, vt & purior atque eleuatior ſit mens ad ſancta altaris tractanda myſteria, & corpus ipſum ad id muneris reddatur magis diſpoſitum. Siquidem in Leuitico dixiſſe legitur Dominus ad Aaron: *Vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibes tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras, vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundũ, doceatisque filios Iſràél omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi.*

Primum exemplũ ſumitur ab Aaron & ipſius filijs. *Leu:10.*

Si itaque cauenda fuit ebrietas, fugiendaque temulentia à ſacerdotibus, quando hircorum & tau-

rorum fiebat ſacrificium, vt vegetiore animo & diſcretiore poſſent etiam docere populum inſtituta illius legis, longè valentiore iure nunc à vino temperandum eſt, quãdo omnium hiſtoriarum immolanda eſt veritas: & primitiua illa ac ſingularis hoſtia, cum etiam doctrina euangelica, longè ſyncerior & perfectior eſt tradenda populo.

Rurſum Daniel cum ſocijs ſuis, vt ſcripturarum aſſequeretur ſcientiam, aquam & legumina prætulit regiæ menſæ delitijs. Nunquid ergo ſacerdos eam ſibi comparabit, cum ſtudet calicibus epotandis, & largo vini hauſtu ſe ingurgitat? quandoquidem maledictionem æternam interminatur Dominus ijs qui multo vino & ebrietati ſunt dediti, cum ait per Eſaiã. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam vt vino æſtuetis. Cithara, lyra, & tympanum & tibia, & vinum in*

2. Exemplũ ſumitur à Daniele & ſocijs ipſius. *Dani. 1.*

Eſaias.

conuiuijs vestris & opus Domini non respicitis nec opera manuum eius consideratis. Et paulò post eodem loco. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

3. Exemplũ sumitur à S. Ioanne Baptista. *Luca 1.*

Ad hæc Ioannes Baptista, vt idoneus esset minister baptismi Christo exhibendi, vinum & siceram non bibit. Quid igitur faciet sacerdos, Christum Deo patri immolaturus? Præterea permisit beatus Paulus Timotheo modici dũtaxat vini vsum propter stomachũ, & frequentes eius infirmitates. Quis ergo iure sacerdos copioso se vino obruet, quo & animum grauiter lædat, & corpus reddat imbecillius? Insuper Apostolus Episcopum suis depingens virtutibus & rectis moribus instruens, eundem dicit non debere esse vinolentum. Diaconos etiam assumendos esse, qui non multo vino sint dediti. Quid igitur sacerdotalem decet gradum,

4. Exemplũ sumitur à S. Timotheo. 1. *Tim:5*

5. Exemplũ sumitur à Diacono. 1. *Tim:3*

dum, qui diaconi ministerio est sublimior & episcopali dignitati plerunque coniungitur? Nonne & hunc decet abstinentia, atque à largiore vino temperantia? Demum Ecclesiastes rationem assequendæ sapientiæ ostendens ait. *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam.* Sed quis sapientia magis indiget quam sacerdos, qui legem Dei debet interpretari, & ignaros sapientiam docere? de qua ait Iob. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Debet igitur & ipse carnem suam abstrahere à largo vini vsu, qui acumen adimit menti, & aciem eius hebetat.

Eccl: 2.

6. Exemplũ ducitur ab Ecclesiaste 2.

Iob: 28.

Quod & salubriter admonet ipse magister totius disciplinæ quæ ducit ad vitam, cùm ait in Euangelio *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ, & superueniat in*

Luc: 21.

vos repentina dies illa. Nonne plerique referuntur interdum subito extincti morbo, qui ortum occasionemque sumpsit ex immoderatiore cibo & potu prius accepto? Nonne quotidiano compertum est experimento, id verum esse quod dicit Ecclesiasticus? *Propter crapulam, multi obierunt. Qui autem abstinens est, adijciet vitam.*

Eccl: 38

Commẽdatur sacerdotibus sobrietas ex Sanctis Patribus.

Nunc autem ex sanctorum patrum sententia & authoritate idem comprobandum est, sacerdotem scilicet abstemium esse debere & in cibo moderatum, & primum canonica sanctione Innocentij tertij, qui in titulo de vita & honestate clericorum capi. à crapula sapienter omnes Ecclesiasticæ sorti addictos admonet dicens. *A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant. Vnde vinum sibi temperent, & se vino: nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas, & mentis inducat exiliũ, & libidinis præbeat incentiuum. Vnde*

Inno: 3. 1.

Commẽdatio sumitur ex S. Innocentio.

illum

illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus, ad potus æquales suo modo se obligāt potatores, & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & fœcundiores calices exhaurit. Idem quoque eodem loco capi: clerici officia, cauponas & tabernas vinarias interdicit omnibus ad Ecclesiasticam sortem assumptis, dicens. *Clerici tabernas prorsus euitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Sunt enim illæ dæmonum officinæ, & omnis intemperantiæ schola. Vbi omnis vitæ regula dissoluitur, & in concessis voluptatibus habenæ laxantur.* Præterea quadragesima quarta distinctione, cap: cùm autem, dicunt sacri canones. *Cùm autem sacerdos vinolentus esse prohibetur, gulæ intemperantiam nequaquam habere permittitur. Neque enim ebrietas prohibetur, & voracitas permittitur, vtrunque enim inter opera tenebrarū Apostolus commemorat scribens Romanis. Non in commessationi-*

NOTA.

2. Probatur ex sacris canonib'

bus,

bus, & ebrietatibus. Ventris namque
Rom: 14 *ingluuies, ad luxuriam prouocat facilè, & omne opus bonum dissoluit.* Vnde
Notabilis S. viri sententia
Hieronymus: *Venter & genitalia, sibimetipsis vicina sunt, vt ex vicinitate membrorum, consideratio intelligatur vitiorum.* Hinc Nabuzardan prin-
4. Re: 25 ceps coquorum muros Hierusalem destruxisse legitur, quia venter cui multitudo coquorum deseruit, ædificia virtutum ad solum redigit. *Sacerdos itaque de altari viuere*, non
Vlterius dicit.
luxuriari quærat. *Tibi ô sacerdos de altari viuere, non luxuriari permittitur.*

Hæc tibi eadem quoque quadragesima quarta distinctione, capitulo, Pro reuerentia, exprimit terti-
3. Probatur ex Concilio Toletano.
um concilium Toletanum, quanta sit honestas & disciplina in sacerdotum mensa seruanda, cum ait.
4. dist: pro reuerētia.
Pro reuerentia Dei & sacerdotum, id vniuersa constituit synodus, vt quid solent crebrò mensis ociosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali conuiuio, lectio diuinarum scripturarum immisceatur.

Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur. Rursum de consecratione, distinctione quinta capitulo, In omnibus. Idem præcipitur, quòd clerici ad mensam, similiter lectionem diuinæ scripturæ audiant.

De conse: distin. in omnib.

Deu: 8.

Et meritò nam huiusmodi sacra lectio, spirituale est pabulum animæ, quandoquidem non in solo pane viuit homo, sed & in omni verbo quod procedit de ore Dei. Sacræ autē literæ & eloquia, quidnam aliud sunt quàm verba ore Dei deprompta, quibus nos quotidie alloquitur? Atqui irrationabile est cum pascitur corpus, animam quæ plus est quàm corpus relinqui ieiunam, & suo destitui alimento. Vterque igitur simul pascatur homo, exterior cibo corporali, interior verbo Dei, quod ex sacra lectione menti ingeritur. Magna certe sedulitate id obseruarunt antiqui patres, & eruditione

Singularis pietas Origenis Adamātii.

& virtute clarissimi, & in primis Origenes Adamantius, de quo scribit sacer Hieronymus ad Marcellā, *quod nunquam cibum sine lectione sumpsit, neque somnum accepit, nisi vnus è fratribus sacras literas personaret. Hoc diebus egit & noctibus, vt lectio orationem susciperet, & oratio lectionē.*

Sacerdotes conuersātes cum laicis impediuntur suis pijs exercitijs.

Sed quomodo id præstabunt sacerdotes, qui quotidianam cum laicis & à sua vocatione alienis habent consuetudinem, atque familiaritatem, nullam autem vel raram cum Ecclesiasticis & suæ sortis viris? Quo pacto in ea sacerdotum mensa, cui solum vt plurimum adsunt secularis atque negotiosæ vitæ viri, resonabunt sacræ lectiones? vbi potius vel ad fabulas, vel secularia negotia, vel obtrectationes, lingua laxatur. Proinde laicorum societatem, iura canonica rectè viris Ecclesiasticis prohibent. Nam quos studiorum disparitas separat, morum quoque dissimilitudo de-

bet seiungere. Et quemadmodum decima sexta, quæstione septima, capite in noua, dicit canonica sanctio, *cohærere & iungi non possunt, quibus vota & studia sunt diuersa.* Consonat huic Ecclesiasticus dicens. *Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili suo sociabitur. Sicut communicabit lupus agno aliquando, sic & peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini, ad canem? aut quæ pars bona diuiti, ad pauperem?*

16.q. 7. in nou.

4. Probatur ex Ecclesiastico. *Eccl. 12.*

Certè quotidiana sacerdotum cum laicis conuersatio, contemptibiles ipsos reddit (cum nimia familiaritas, parere contemptum soleat) & grauiori efficit obnoxios culpæ. Quando coram illis peccant sacerdotes, quos deberent bono exemplo ad emendationem prouocare: & eos habent suorum criminum testes, socios & consocios, quorum ad virtutem deberent esse

Frequens familiaritas parit contemptum.

Quantū mali sacerdotes præbeant laicis scādalum. duces & incitatores. Enimuero laici ipsorum sacerdotum innitentes exemplo, in eadem facilè labuntur vitia. Quoniam vt inquit Gregorius. *Cum pastor per abrupta graditur, consequens est, vt grex ad præcipitium sequatur, & qui labenti innititur necesse est vt cum labente pariter labatur.* Persuadent enim sibi subditi, id eis impunè licere, quod à suis pastoribus fieri palam conspiciunt, & audentius idem perpetrant, ex quo superiorum longè

Idem. maior redditur culpa. Quod liquidò attestatur Gregorius dicens. *Deterius in populo Prælati delinquunt, ac per hoc ipsi crudelius quam cæteri pu-*

Sap: 6. *niuntur, secundum illud libri Sapientiæ verbum. Durissimum iudicium in iis qui præsunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur. Fortioribus enim fortior instat cruciatio.*

IEIVNIVM NON SOLVM ECclesiastico instituto, sed etiam diuino præcepto atque iure esse ordinatū, & ita homines ad id obligari.

CAPVT

CAPVT XVIII.

AD comprimendum autẽ gulæ vitium, fugiendam crapulam, ebrietatemq́; cauendam, nullum potius est & præsentius remedium quam ieiuniũ, quo (vt ait Hieronymus) *istæ pestes corporis & reliquæ consequẽtes, velut salutari antidoto sanantur.* Per illud enim, castigatur corpus, & in seruitutem spiritus redigitur. Quod se fecisse scribit Paulus, & eius exemplo facere debent sacerdotes. *Ne fortè cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi inueniantur. Per illud item caro crucifigitur cum vitijs & concupiscentijs, quod ij faciunt qui sunt Christi. Denique per illud mortificantur membra nostra quæ sunt super terram, vt spiritus in Domino viuificetur.* Et certè satius est sacerdotibus hic ieiunio afflictari ad carnis castigationem, quàm delitijs in præsenti vita affluere, & demum cum diuite

Laus ieiunij varia.

Coloss. 3.

epulo-

epulone sepeliri in inferno, & cruciari flamma inextinguibili, fameque perpetua & siti contabescere, nec minimam aquæ guttam ad linguæ refrigerium obtinere. *Luc:16.*

Nonnullorum falsa sententia de ieiunio.

Sed ecce cum ieiunium prædicamus, obstrepunt nonnulli importunis clamoribus, & verbis nostris reclamant, confringentes ieiunij vinculum, & contendentes nullo nos diuino præcepto alligari ad aliquam ieiunij obseruationem, sed sola iuris humani positione. Quæ (vt aiunt) non sic potest hominem constringere, vt eius præuaricatorē constituat peccati mortiferi reum. Et ita tandem eò deducunt suam rationem, vt sibi persuadeant eos minimè peccati lethalis reatum incurrere, qui ieiunia Ecclesiastico instituto ordinata cùm possint, non obseruant, vt sanctæ quadragesimæ, aut quatuor temporum, aut vigiliarum festa solennia præcedentium, quas Ec-

clesia

clesia indicto ieiunio celebrat.

Verùm hi prædicatores sunt Antichristi & præcursores eius, vt soluant legem Christi sanctam & immaculatam, carni, & sanguini repugnantem, & spiritui maximè consonam. Hi quoque ex Epicuri schola prodijsse videntur, asserto-res voluptatis, & Epicuri de grege porci, aduersum veritatem grun-nire non verentur. Hos sanè Che-rinthus maximè probasset, tan-quam suæ sectæ astipulatores, quæ in corporis oblectamentis summã felicitatem collocauit. Hos deniq; Machometus corruptor & dece-ptor orbis lubens fuisset ample-xus, quòd ad adstruendam ipsius legem (*si modo lex dici debeat, & non potius mera impostura atque animorum corruptela*) magnum habuissent illi momentum ac pondus. Idcirco ex sacræ scripturæ tam veteris quam nouæ legis testimonio elidamus duram illorum frontem, & subru-

Respon-detur nõ nullorũ falsæ sen-tentiæ.

Cherin

amus basin assertionis ipsorum, ostendentes ieiunium non solùm ex humana sanctione, sed longè prius & potius ex diuina, vim obligationis habere, Deumque apertè dedisse præceptum obseruandi ieiunia, eiusque præcepto nos adstringi ad illorum obseruationem.

Probatur ex scriptura ieiunium esse iuris diuini.

1. Probatur ex Leuitico. *Cap: 16.*

In primis, Leuitici decimo sexto capite, vbi festum expiationis celebrandum exprimitur, inter cætera dicit Dominus ad Moysen. *In hac die expiatio erit vestri atque mundatio, ab omnibus peccatis vestris coram Domino mundabimini. Sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras religione perpetua.* Idem quoque repetitur Leuitici vicesimo tertio capite, his verbis. *Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus, affligetisque animas vestras in eo.* Et paulò post: *Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.*

Leui: 23

Quid

Quid (oro) hac interminatione & comminatione manifestiùs? quæ plane ostendit eam afflictionem diuino iuberi præcepto, non suaderi consilio. Atqui ea afflictio intelligitur esse, carnis per ieiunium emaceratio, secundum communẽ omnium expositorum sententiam, consuetumque loquendi modum, quo scriptura sæpe etiam in alijs locis vtitur, quemadmodum tricesimo Numeri capite, cum ait. *Si vouerit & iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam.* Et Esaiæ quinquagesimo octauo. *Nũquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam?* & compluribus alijs in locis. Igitur in proposito Leuitici loco præcipitur diuina authoritate ieiunium. Quod si in veteri sit testamento: multo amplius in nouo, quod magis spirituale est, & ad spiritus ducit perfectionem, ad quam ieiuni-

Nũ: 30.

Esa: 58.

um magnopere confert. Quæ enim ad componendos mores ſpectant præcepta Dei, non minus roboris, & virium in nouo quam veteri habent teſtamento, vt liquidò manifeſtant præcepta decalogi.

Id autem præceptum de obſeruando ieiunio: conſtat vtique ad formandos mores pertinere, etſi id ceremoniarum habeat rationē, quod in feſto expiationis fieri debuerit, & proinde in noua lege ſecundùm eam conſiderationem nequaquam obſeruandum. Sed generalem duntaxat hic ieiunij rationē attendimus, ſecundum quam aſtruimus ipſum etiam in hac lege gratiæ (quæ nobis adeſt) eſſe præceptum à Deo.

2. Probatur ex Iohele cap. 1. *Iohel 2.*

Præterea Iohelis primo capi: item & ſecundo præcipit Dominus per Prophetam: *ſanctificate ieiunium, vocate cœtum.* Et rurſum ſecundo eiuſdem Prophetæ capite. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in*

ieiunio, fletu & planctu. Quod nullus sanæ mentis negauerit præceptorio sermone & imperatorio dictum à Domino, non autem suasorio tantum & admonitorio, vt verba ipsa satis indicant. Quid est autem, nisi ipsum in sanctimonia, & puritate obseruandum indicere, & indictum obseruare? Sicut igitur conuersio nostri in toto corde ad Deum est præcepta diuino iussu, ita & modus couertendi iubetur sanctione diuina, vt pote quòd fiat in ieiunio, fletu & planctu. Rursum sicut fletus & planctus, id est compunctio cordis & contritio de peccatis, à Deo ibidem præcipitur, ita & ieiunium tanquam debitum & expediens medium conuertendi nos ad Deum, eademque prorsus ratione & iure (quòd his annectatur) præcipi intelligitur.

Insuper Zachariæ septimo capite Dominus ad sacerdotes & ad omnem populum ait. *Cum ieiunare-* 3. Probatur ex Zach: Cap: 7.

tis & plangeretis in quinto & septimo, per hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Et octauo eiusdem Prophetæ capi. *Hæc dicit Dominus exercituum, ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium & lætitiam, & in solennitates præclaras.* Ex quibus liquet Iudæos saltem post euersionem vrbis & templi in captiuitate Babylonica detentos, quin imò & post illius dissolutionem, assuetos esse obseruationi ieiuniorum indictorum in quarto mense & quinto, septimo & decimo. Sed cuius authoritate indicta fuerunt, & constituta illa ieiunia, nisi diuina? Nunquid si humana tantũ traditione & per sanctionem humanitus solum inductam obseruata fuissent ea ieiunia, illorum per Prophetam Dominus meminisset, promisissetq; eadem in gaudium & hilaritatem tandem conuersum iri? Erant igitur apud

Iudæos ieiunia, diuino iussu atque præcepto ordinata. Quod sufficit ad astruendum, quòd ieiunium ex diuino pendeat imperio.

Adhęc Angelus Raphael ad Tobiam dixisse legitur, *bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere.* Vbi Angelus Domini adiunxit, ieiunium alijs duobus operibus satisfactorijs scilicet orationis & eleemosynæ, tanquam suis comitibus & sine quibus Deo nequaquam esse gratum soleat. Quibus sanè verbis subinsinuauit eandem prorsus illorum trium simul nominatorum esse rationem, quantùm ad præcepti diuini obligationem, vt si vnum eorum à Deo præceptũ fuerit, æquo iure conuincantur & alia esse præcepta. Atqui oratio & eleemosyna, diuina iussione sunt præcepta, vt liquidò constat ex multis scripturæ locis. Igitur & ieiunium illis adiectitium, pari iure atq; ratione præ- 4. Probatur ex Tobia *Cap.* 12.

ceptum intelligi debet.

5\. Probatur ex Matthæo 6. & 7. Conuincitur etiam idem ex sexto Matthæi capite, vbi eadem tria opera rursum connectit & sigillatim explicat Dominus quomodo sint exercenda. De eleemosyna quidem. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere.* De oratione vero, secundo loco. *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ.* De ieiunio autem, tertio loco subnectit. *Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Vbi perspicuè ex ipso loquendi schemate atque forma præsupposuit esse ieiunandum, tanquam id diuino præcepto sit indictum, quẽadmodum omnino consimili loquendi ratione, præsupposuit & esse orandum ex diuino mandato, & dandam esse eleemosynam. Eadem siquidem obligatione, diuini scilicet præcepti ad illa tria homines deuinciri, ipse idem sermonis contextus dilucidè prodit.

Insuper Matthæi decimo septimo capi-

mo capite, dixisse legitur Dominus noster discipulis suis. *Hoc autem genus (dæmoniorum scilicet) non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* Et idẽ consimilibus ferè verbis, Marci nono capite repetitur. Per quod (vt exponit Nicolaus Lyra) innuit quòd dæmon titillans hominem & tentans ad vitia carnis, quin imò & ipsa carnis vitia, non eijciuntur à nobis, neque vincuntur nisi per orationis & ieiunij medicamenta. Quam vtique sententiam, eodem in loco confirmat glossa dicens. *Ista carnalium voluptatum mutabilitas non mutatur vel vincitur, nisi spiritus oratione confirmetur, & caro per ieiuniũ maceretur.* Atqui diuino præcepto obligantur homines, ad superandum hoc genus dæmoniorum. *Caro enim & sanguis, regnum Dei non possidebunt.* 1. Cor: 15 *Et qui amat animam suã in hoc mundo, perdet eam.* Ioan: 12 *Imo qui non oderit animam suam, non potest Christi esse discipulus.* Ergo eodem etiam

præcepto obligantur homines ad
Luc: 14 ea media, orationem inquam & ie-
iunium, ſine quibus hunc finem,
vitiorum ſcilicet carnis extirpatio-
nem, aſſequi non poſſumus. Obli-
gauit igitur Deus ſuo præcepto ho
mines ad ieiunium, ſicut & ad ora-
tionem, vt hiſce medijs ſuæ ſaluti
neceſſarium finem aſſequantur, vt-
potè vitiorum carnis repreſſionē.

6. Probatur ab exemplo Christi. *Mat: 4.*

Sed quid multis opus eſt verbis?
Nonné Dominus & legifer noſter,
quadraginta dierum & noctium ie-
iunio, noſtram conſecrauit quadra
geſimam, & opere in ſe oſtendit
quod debeamus imitari? Cui dein-
de acceſſit Eccleſiaſtica conſtitutio,
tempus & modum obſeruandi ie-
iunij non ſine Dei directione de-
terminans. Diuini igitur præcepti
eſt quod ieiunemus. Humanæ ve-
ro ſanctionis, quòd hoc vel illo
tempore, quodq; tali modo & vi-
ctu ieiunium obſeruemus. Huiuſ-
modi tamen humana poſitio, non

minus est tenenda, quàm si diuino ore esset deprompta, *quoniam Ecclesiam qui non audierit sicut Ethnicus & publicanus habendus est.* Et de Apostolis atque viris Apostolicis dictũ est à Domino. *Qui vos audit me audit: Et qui vos spernit, me spernit.* Quare qui Ecclesiæ fuerit rebellis, & eius dicto non audiens, Dei contẽptor est habendus. Idcirco rectè decernunt pontificiæ sanctiones patrumq; decreta quod in ijs rebus de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei & instituta maiorũ pro lege tenẽda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt.

Sed hæc quasi per digressionem non tamẽ inutiliter dicta satis sint. Nũc ad iter propositũ reuocemus gradũ, & de moribus sacerdotũ nõnihil adhuc disseramus, reliquas, quę eos decẽt virtutes prosecuturi.

Conclusio cum propositione.

OCIOSITATEM SACERDOTIBUS summopere fugiendam esse, & negligentiam circa suos dirigendos, simul & ludorum inhonestatem.

CAPVT XIX.

Ocium summopere vitãdum est sacerdotibus.

NIhil autem sacerdotali charactere insignitis magis est declinandum vltra supradicta, quàm otium & torpens animi ignauia, nihil boni operis exercens, & omni virtutum vacans officio, quoniam ea præstat alimentum & materiam multis vitijs, secundum hanc Ecclesiastici sententiam, *multam malitiam docuit ociositas*. Ad quam toto animi enixu fugiendam, id maximè agendum quod scribit Hieron. ad Rusticum Monachum: *Nunquam de manu tua, veloculis liber Psalterij discedat, dicatur ad verbum oratio sine intermißione: Ama scientiam scripturarum, & vicia carnis non amabis. Facito aliquid operis, vt semper diabolus inueniat te occupatum.* Enimuerò sicut vrbs patens

Eccl: 33

Hieronymus ad Rusticũ Monachum.

Pulchra similitudo

absque

absque muroru ambitu facile quo-suis admittit hostes, ita ociosus animus in ignauo corpore, omnes passim recipit dæmonum suggestiones, & per eas ad grauia impellitur sine aliquo negotio scelera. Quibus vt viam præcludat & aditum sacerdos, post expleta templi officia lectioni sacrarum literarum debet animum intendere, atque tam salutari studio totos dies occupare, quo nullum dari potest salubrius, aut gradui sacerdotali congruentius. Sanctos item doctores, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, Chrysostomum, Bernardum, & cæteros, qui sacræ scripturæ sensum nobis suis explanationibus aperuerunt, euoluere ac perlegere studeat: ex quibus rectam eius assequatur intelligentiam. Insuper decreta sanctorum patrum, sanctionesque canonicas: quomodo Ecclesiastica sacramenta sunt administranda, &

Sacerdotes debẽt legere sacram scripturam.

Sacerdotes debẽt legere Sanctos Patres.

Sacerdotes debẽt legere decreta SS. Patrum.

ſacerdotum vita inſtituenda latè determinantes, aſſidua verſare manu laboret. His etenim ſtudijs ſanctis occupati ſacerdotes neq; marcebunt ignauia, otioué torpebũt: neque inhoneſtis & turpibus ludis tempus & ſuam conſument ſubſtãtiam, qualis eſt alearũ ludus: cùm Chriſtianos omnes, tum maximè ſacerdotes dedecens, & pontificijs decretis diſtrictè prohibitus. Trigeſima quinta diſtinctione, capi. Epiſcopus vbi ex canonibus Apoſtolorum depromptum ſtatuitur hoc decretum. *Epiſcopus aut preſbyter, aut diaconus aleæ atque ebrietati deſeruiens, aut deſinat aut certè damnetur. Subdiaconus autem, lector aut cantor, ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione priuetur, ſimiliter laicus.*

Alearum lud⁹ prohibetur ſacerdotibus.

Epiſc.o: 35. diſt.

Neque ſubterfugium quærat aliquis cauillator, dicens particulam de inductione deſeruiens ibidem auxeſin atque incrementum deſignare, vt tantundem valeat deſer-

Explicatio iſtius diſtinctionis vera

uiens

uiens, atque valde seruiens, quemadmodum eodem in loco sentit glossa. Et proinde contendat inibi non prohiberi aleæ ludum: nisi qui frequens exercetur, & assiduo vsu trahitur in consuetudinem. Nam esto quod pœna canonis ibidem expressa non feratur, nisi in eum qui crebrò alearum ludo est intentus: attamen quantumuis rarenter factus ille ludus, imò & semel suapte natura damnabilis est, & graui semper obnoxius peccato. Quod ex verbis Innocentij tertij in concilio generali protinus innotescit: qui in titulo de vita & honestate clericorum capit: clerici officia, inter cætera dicit. *Clerici ad aleas & taxillos non ludant: nec huiusmodi ludis intersint.* Quibus sanè verbis, omnem aleæ ludum, siue frequenter siue raro sine discrimine clericis interdicit. Ludum autem aleæ voco eum, qui iactu tesserarum committitur, & soli innititur fortunæ, quemadmodum au-

Innocentij interdictum de ludo alearum.

Per ludũ Aleęquid intelligẽdum.

dum authores ferè semper accipiunt. Sub quo comprehendi intelligo omnem alium ludum: cuius lucrum ex solo pendet fortunæ euẽtu, & nulla industria humana dirigitur. Qui certè nullam habet iusti lucri rationem, ob quam legitimè transferatur lucrum in ipsius lucrãtis dominium. Quocirca cum eximio patre sancto Bonauẽtura sentio, huiusmodi lucrantes ad restitutionem eorum, quæ hoc ludo sunt assecuti strictè obligari, & quod taxillorum iactu aut chartis lusorijs sunt lucrati, in pios vsus pauperum erogari debere. Enimuero si quis semel aut bis contrectet aleas, & eas iactitet, concertans cum aliquo posito pignore: nonne tandem trahetur ex huiusmodi inescatione ludi in consuetudinem & fiet aleator, habebitq; aleas in delitjs? Nonne qui sibi cauere vult, ne in assuetudinem mali ducatur, eniti debet: vt ne semel

Lucrum ex ludo alearũ est restituendum teste S. Bonauẽtura

quidem

quidem admittat id, cuius assuefa-
ctionem vult euitare: cum dicat
Ecclesiastes: *Qui in vno deliquerit,* Eccl. 9.
multa bona perdet. Et Ecclesiasticus
Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl. 10

Rursum obijciet aliquis, permis- Obiectio
sum esse à iure pro modico pretio
ludum, aut causa recreationis, aut
conuiuij, vt lucrum non inferatur
crumenæ lucrantis, sed in esculen-
ta conuertatur aut poculenta. Ad-
mitto id quidem in ludis illis qui Responsio ad obiectionē.
industriam humanam habent anne-
xam, quin imo & in ijs qui soli in-
nituntur fortunæ: neque humana
diriguntur industria, ad assequen-
dum lucrũ aut euitandum damnũ,
modo id fiat, quòd dictum est in
obiectione, vt modicum sit preti-
um, ne succũbens graui detrimento
afficiatur, conuertaturque lucrum
in sumptus mediocris conuiuij,
quod relaxandi animi gratia instru-
atur. Sed quotusquisque est qui in-
tra metas iam positas se continere

velit

velit & vltra non tendat resarciendum copioso lucro marsupium? Certè à plerisque cum à modicis inceperint ludum pro animo (vt aiunt) relaxando, interdum iam luditur alea pernox, & absumpta pecunia, vestes, patrimonia, tecta, & prædia pro pignore ludi constituuntur. Quæ incommoda si quis deuitare velit (velle autem debent omnes) ne huiusmodi ludis sorti fortuitæ subiectis vnquam se exponat, summopere laborare, quoniam facilè illis inuiscaretur.

Principiis obstandum in ludo etiã alearum.

Cæterum in ludis illis, qui humana diriguntur industria, solertia atque peritia, adhibere sacerdotes debent cautionem, ne illis vacent aut immoderata cupiditate lucri, aut frequentius æquo, nimiaué assiduitate, aut tempore minus conueniente, vt quod diuino officio debeat deputari, aut loco minus congruo, vt patente & in propatulo constituto. Siquidem si aut ar-

Scandali cautio adhibenda sacerdotibus in ludis vtcũque licitis.

cu aut pila decertet ſacerdos in lai-
corum conſpectu & loco publico,
illis inſpectoribus ſæpe ingerit ſcã-
dalum, & præbet offendiculum
iudicantibus ſacerdotalem ordinẽ
id minimè decere: vnde occaſio-
nem ruinæ præſtat proximo, grá-
uiuſque delinquit. Et idem feren-
dum eſt iudicium, ſi illi ludo in-
tentus ſit ſacerdos, in quo euenire
plerumque ſolet periculum læſio-
nis fortuitæ alteri inferendæ, vt lu-
do arcus atque eiaculationis telo-
rum. Meritò namque reprehendẽ-
dus eſt, id ludi genus exercens,
quòd exponat ſe periculo effundẽ-
di humanum ſanguinem: aut gra-
uiter aliquem caſu lędendi. Quod
ſi in hoc genere ludorum, aut alio
quouis modo ſacerdos peccatum
admittat, longe deterius commit-
tit malum, quàm laicus aut plebe-
ius conſimile peccati genus perpe-
trans, tum ob altiorem & eminen-
tiorem dignitatis gradum, tum ob

ſcan-

ſcandalum quod alijs exinde ingeritur atque ſuboritur.

Grauis & longa ſententia S. Chryſoſtomi de peccatis ſacerdotum.

Neque hæc mea eſt, ſed Chryſoſtomi ſententia, in ſexto libro dialogorum, de dignitate ſacerdotali de ſe dicentis: *Nunc ego (cum ſcilicet non fungor ſacerdotio) mihi talem vltionem referri puto, qualem peccatorum meorum exigit magnitudo. Accepto verò ſacerdotio, non ſolum duplicatã aut triplicatam, ſed toties auctam quot fuerint illi quos ſcandalizare poſſum: & quam meretur is, qui poſt acceptum honorem, largitorem eius offenderit. Propter hoc enim & Iſraelitæ grauius cæteris gentibus arguuntur: hoc videlicet correptionis illius vindicta indicante, quia poſt beneficia accepta peccantes, maiora tormenta mereantur. Ideò aliquando dicit ad illos Deus: Quoniam vos cognoui ſolos ex omnibus tribubus terræ, propter hoc vlciſcar in vobis impietates veſtras. Aliquando vero accepi ex filijs veſtris in Prophetas, & ex iuuenibus veſtris in ſanctificationem.*

Leu: 4.

Ante

Ante tempora etiam Prophetarum, differentiam fecit Deus inter ſacerdotum plebisq́; peccata. Offerre enim iubebat ſacrificium pro ſacerdotis errore tantũ, quantum pro totius populi delicto. Quo nihil aliud indicatur, quam quòd maiore indigeant adiumento vulnera ſacerdotis & tantò, quantò ſimul vniuerſi populi multitudo. Maiore autem non egerent, niſi grauiora iudicarentur. Grauiora autem efficiuntur, non conditione corporis, ſed dignitate facientis: Et quid de viris loquar, qui participes miniſterij ſacerdotalis erant? Filiæ quoq; ſacerdotum quæ nihil habebãt cum officio commune: tamen propter honorem parentum multo pro peccatis ſuis maiorem quàm reliquæ fœminæ ſuſtinent vltionem. Et quidem delictum vnum eſt, tàm quòd ab ipſis, quàm quod à vulgaribus mulieribus perpetratur. Fornicatio enim ęqua in vtrisq; vltio verò multo circa illas ſeuerior. Vides quemadmodum oſtendit Deus, quoniam honoris conſideratio durius facit eos qui regunt, quam eos qui reguntur,

puniri.

puniri. Et qui filias sacerdotis grauioris vindictæ lege constringit, illū ipsum, qui causam etiam in pignore suo huius fecit augmenti: poteritné eadem lance iudicare qua cæteros, & non multo seueriore? quod quidem conuenienter fit. Neq; enim circa solius sacerdotis damna peccatum eius transigitur, sed etiā infirmorum animas interficit, quæ illius Eze:34 *corrumpuntur exemplo. Hoc & Ezechiel ostendere volens differentiam fecit inter ouium arietumq́; iudicium.* Hæc Chrysostomus.

Sacerdotes indulgentia sua grauiter peccant.

Neque solum incurrunt reatum culpæ sacerdotes, si prauo exemplo suo corrumpunt alios, sed etiā si negligenter curant eorum salutē qui suæ commissæ sunt custodiæ.

Simile.

Nauis enim periclitatio imputatur naucleri incuriæ, & ouium à lupis dilaceratio pastoris inertię. Sic currus euersio ascribitur ignauiæ aurigæ, & discipulorum indisciplinati mores atque inscitia, in præceptorem retorquentur. Haud secus a-

nimarum perditio in ſubditis, impingitur negligentiæ ſacerdotis, minus quam par eſt circa eorum directionem intenti atque ſoliciti, ſecundum illud verbum tertij libri Regum, quod quiſque ſacerdotum ſibi à Domino dictum eſſe debet existimare. *Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius.* Quod & Beatus Paulus ad Hebræos ſcribens, confirmat, dicens: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Certe & Rex Dauid ſanctitate præcipuus, eo ipſo reprehenſione dignus ſacris in literis innuitur, quod nõ corripuit acriter Amnon filium ſuum, qui propriam ſororẽ vi compreſſerat. *Noluit* inquit, *contriſtare ſpiritum filij ſui Amnon, quoniã diligebat eum, quia primogenitus ei erat;* Cum etiam Adonias, neſcio & inconſulto patre, vellet Regio potiri ſceptro, paternumq; Regnum ambiret,

Applicatio ſimilitudinis.

3. *Reg*: 20.

NOTA

Indulgẽtia Dauidis in filium reprehenſibilis.

2. *Re*: 13

Alterius patris indulgẽtia

erga filiũ reprehenditur, 1. Reg: 1

biret, non corripuit eum inquit, pater suus aliquando, dicens: *Quare hoc fecisti?*

Conclusio à cautione pœnæ.

Formidare igitur debent & sacerdotes aliorum directioni præpositi, ne quemadmodum Heli grauiter à Domino punitus legitur, repentinaque morte fractis ceruicibus extinctus, eò quòd nouerat indigné agere filios suos, & non corripuit eos paterna illa seueritate qua debuit: ita & incident in manus Dei si correptionem debitam non adhibeant erratis subditorum: sed consuant puluillos mollis adulationis sub cubitis eorum, & loquatur eis placentia: si videant aberrantes suas oues per inuia vitiorum & abrupta scelerum, & non studeant eas reuocare in viã rectã.

CASTITATEM ET VITÆ continentiam, à sacerdotibus obseruari debere, ex sacrę scripturę & sanctionum canonicarum testimonio,

CAPVT

CAPVT XX.

DEnique adijcienda estſupradictis vitæ ſacerdotalis ornamentis caſtitas & vitæ puritas, mirum in modũ hunc ordinem decorans, & pro magnitudine atque excellentia miniſterij eius ſummopere neceſſaria. Quid enim deſignauit id veteris legis inſtitutum, quo Agnus Paſchalis iubebatur cum panibus azimis mãducari, niſi verum ipſum Agnum Dei & immaculatum, in ſanctitate & munditia cùm corporis tum animæ ſumi debere? vt incontaminata illa myſteria, impollutis & incoinquinatis contrectentur manibus & animis.

Caſtitas ſingulare ſacerdotum ornamentum

Caſtitas ſacerdotũ in veteri lege probatur.

1. Probatur *Exod*:12

Rurſum filij Iſráël ſuſcepturi legem in monte Sina, iuſſi ſunt non appropinquare vxoribus ſuis, ſed vt aptiores eſſent tanto muneri ſuſcipiendo, à congreſſione etiam maritali abſtinere diuino pręcepto de-

2. Probatur *Exo*:19.

bebant. Quid igitur facere debet sacerdos ipsum Dominum, legis, imò & perfectioris legislatoré suscepturus? Nonne in omni sanctificatione & continentia se præparare, vt pro dignitate rei tam sancta offerat, & contingat sacramenta?

3. Probatur *Leu*: 21. Adhæc, in veteri lege sacerdos virginem puellam potuit vxorem ducere: à cuius tamen consortio, cum in tabernaculo aut templo erat sacrificium oblaturus: debuit continere, neque ab ipsius templi aditis atque penetralibus, donec suæ vicis impleret ministerium discedere, quemadmodum de Zacharia Sancti Ioannis Patre innuit Beatus Lucas in sui Euãgelij exordio. *Luca* 1. Si hanc vitę sanctimoniam lex petiuit in sacerdotibus suis, lex illa typica & figuralis, nonné longè maiorem iure efflagitat lex noua, quæ est gratiæ & veritatis? sanè tantò maiorem, quantò maius & dignius est, quod in hac offertur sacrificiũ.

Præterea:

Præterea: Non potuit Dauid licèt necessitate adactus, comedere panes propositionis, nisi ab Achimelech sacerdote interrogatus asseruisset & se & socios suos à mulierum contactu esse mundos, & tres ante dies se abearũ congressu prorsus continuisse. Atqui panes illi propositionis, vmbra solùm erant, & imago istius panis viuifici & supercælestis, qui in noua lege manducatur & sumitur. Quis igitur non videt omnem prorsus fugiendam esse fæminarum societatem ab ijs: qui hunc panem salutarem Deo debent offerre? 4. Probatur 1. Re: 21.

Esaias item admonet sacerdotes & ministros templi his verbis. *Mũdamini, qui fertis vasa Domini.* Quod si munditia exposcebatur ad vasa materialia deferenda, quæ Domino erant consecrata, longè potiore iure & nunc expetitur ad deferendum vas illud admirabile & opus excelsi, in quo omnes virtutis & 5. Probatur *Esa: 52.*

gratiæ theſauri ſunt reconditi : & nonmodo ad deferendum, ſed ad offerendũ Domino atq; ſumẽdũ.

6. Probatur *ex Malachia.* Inſuper per Malachiam Dominus his verbis ſacerdotes increpat. *Ad vos ô ſacerdotes, qui deſpicitis nomẽ meum : & dixiſtis : In quo deſpeximus nomen tuum ? Offertis ſuper altare meum panem pollutum.* Sed quomodo poteſt (dicet quiſpiam) panis ille pollui, in quo nulla eſt labes, ſed omnem peccati maculam tollendi, virtus immenſa ? In ſe quidem nõ polluitur, qui mundiſſimus eſt : ſed in miniſtris illum offerentibus. Offerunt enim pollutum panem ſacerdotes, quãdo libidinis putore ſordidati ſacratiſſimũ illũ panẽ tentãt offerre. Quem (quantũ in ſe eſt) pollutum oſtendunt, quod non maiore ipſum reuerentia atq; puritatis ſtudio attrectant, quam ſi contaminatus eſſet & inquinatus, vt miniſtrorum pollutio, in ipſum quoque panem oblatum ſecundũ

denomi-

denominationem redundet atque retorqueatur, facitq; illum plerisque pollutum videri.

Eodem quoque modò dicuntur sacerdotes iniqui polluere nomen Domini, quod tamen semper est sanctissimum, & nulla potest cogitatione labefactari. Enimuero quoniam vitæ suæ peruersitate diuino nomini (quod omnis decet honor & gloria) inhonorationem inferunt, quantum ad ipsos attinet, sacrum illud nomen polluunt, quoniam ex operibus suis illud pollutum esse demonstrant, quo non maiorem illi venerationem quam si contemptibile & inglorium esset, impendunt.

Deinde per eundem Prophetã hanc nouæ legis oblationem insinuans Dominus euangelicæ gratiæ statum prænuncians, ait. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. A solis enim ortu vsque ad* 7. Probatur *Mala. 1.*

occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Ecce vetusti ritus sacra se recusaturum denunciat Dominus: & in omni loco terrarum sacrificandam sibi esse oblationem mundam, quę nouam respicit & concernit legem. Atqui hostia sancta & munda tales etiam exigit sacerdotes, sanctos inquam, mundos & puros. Decet igitur eos & vitæ habere munditiam, & omnimodam præferre puritatem.

7. Probatur exemplo Christi. *Lucæ 1.*

Demum Christus ipse mundũ suo in carnem aduentu illustraturus, de matre virgine nasci voluit omnis corruptionis im̃uni & cum virgineo decore maternum nomen habente. Deinde mortem acerbam pro nobis passus, syndone munda inuolui & in sepulchro nouo reponi elegit, in quo nondum quisquã positus fuerat. Quæ omnia nobis sunt argumento, synceram mentis

& cor-

& corporis puritatem magnopere illi cordi esse, ipsumque non nisi mundis sacerdotum manibus, nullo libidinis genere pollutorum attrectandum esse, non itidem nisi in puro cordis sacerdotalis reclinatorio ac domicilio locari debere.

Postremo hunc Euangelij locum apud Lucam: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris* exponens Haymo luculentus sacrarum literarũ explanator, ait. *Lumbos præcingimus: cum ardorem libidinis amore castitatis refrænamus. Quod cum omnibus fidelibus generaliter obseruandum sit, specialiter tamẽ ministris Ecclesiastici ordinis custodiendum iniungitur quando in veteri lege carnes agni (qui in figura corporis & sanguinis Christi immolatus est) non prius comedere permißi sunt, quam renes accinctos haberent, Domino dicente. Sic ergo comedetis illum: renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus. Item*, Et dixit Dominus ad Moysen.

8. Probatur ex S. Luca 12.

Exo: 12.

Leu. 21.

Moysen. *Loquere ad Aaron & ad filios eius. Homo de semine vestro in quo fuerit macula, non accedat ad altare. Qui enim sacra mysteria manibus tractare, & alijs ministrare debent, dignum est vt ab omni immunda pollutione sint alieni, vt scilicet & mente sint casti & corpore pudici.* Hæc ille.

Quocirca antiquorum patrum decreta, Ecclesiæque concilia ijs qui sacros ordines amplectuntur, perpetuam indicunt vitæ continentiam: quod cum frequenter aliâs, tum octogesima secunda distinctione, capite Proposuisti, ita ab Innocentio depromitur. *Sacerdotes quibus sacrificandi & orandi iuge officium est, semper debent à mulierum consortio abstinere: quia si contaminatus fuerit carnali concupiscentia qui orat, quo meritò se posse exaudiri credit? cum dictum sit omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed coinquinata est eorum mens & conscientia.* Et eodem loco

9. Probatur ex Innocentio Primo.

Tit. 1.

dein-

deinceps: *Incontinentes in officijs altaris positi, omni honore Ecclesiastico priuentur, nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet compleri.* Rursum Innocentius tertius in concilio generali eam promulgauit Ecclesiasticã legem, quæ in titulo de vita & honestate clericorum capite: Vt clericorum, his verbis continetur. *Vt clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter, & castè viuere studeant vniuersi, præsertim in sacris ordinibus constituti: ab omni libidinis vitio præcauentes, maximè illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ: quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde ac mundo corpore valeant ministrare.*

Secundo.

Tertio.

Cæterũ grauiter insectatur scriptura duos filios Heli sacerdotes Ophni & Phinees? quod inter cætera mala sua opera dormiebant cum mulieribus, quę obseruabant ad ostium tabernaculi. Neque pla-

Col: 3. In continentia sacerdotũ in veteri lege punitur grauiter. 1. *Re*: 2.

gam illis à Domino illatam ſubticet, cùm refert eos ambos in prælio contra Philiſteos gladio cæſos eſſe. Timeant itaque ſacerdotes eodem laborantes peccato, ne æternæ damnationis enſe à Domino feriantur, & perpetua morte damnentur. Audiant itidem attentius Hieronymum dicentem. *Acerbiora gehennæ tormenta ſacerdotibus, & clericis fornicantibus reſeruantur. Væ tibi ſacerdos, qui eodem ore oſcularis filiam Veneris, quo paulò ante ſumpſiſti filium Virginis. O impie Iuda, oſculo filium hominis tradis?*

1, *Re:* 4.

NOTA.

Ab exemplis ſecularium colligitur pœna ſacerdotũ incontinentium

5. Exemplũ Regis Balthaſari. *Dan:* 5.

Inſuper Balthaſar Rex Babyloniorum quòd vaſa ſacra templi Solymi accomodauit ad vſum ſuæ menſæ in crapulam & ebrietatem, regno ſpoliatus eſt & eadem nocte interfectus, vt prædixerat Daniel: ſcripturæ in pariete ſubito exaratæ interpres. Quid ergo ſupplicij eos manet ſacerdotes qui vaſa corporis ſui conſecrata Domino, cœno carnalis

nalis concupiſcentiæ inceſtant ac conſpurcant: quæ deberent cuſtodire in ſanctificatione & honore ſecundum beati Pauli doctrinam. 1. The: 4.

Adhæc. Septem viri Saræ filiæ Raguelis, à dæmonio ſubinde ſtrãgulati ſunt, quòd eam duxerint vxorem magis vt ſuæ vacarent libidini, quam vt legitima nuptiarum fœdera ſeruarent, & prolem ex ipſa ſuſtollerent. Cur ergo non timent ſacris Eccleſiaſticis initiati, & vitæ caſtimoniam abijcientes, ſe conſimili iudicio præfocatum iri? quandoquidem longè grauius eſt eorum flagitium, quàm illorum ſeptem qui legitimam duxerant vxorem. 2. Exemplũ 7. virorũ Saræ. Tob: 6.

Adde quod Antiochus Epiphanes percuſſus à Deo ſcatenſque vermibus, miſerando exitu in montibus perijt, quòd templum Domini in Hieruſalem gentilitio ritu, tempore Maccabæorum prophanaſſet. Quid igitur ſupplicij timere 3. Exemplũ Antiochi 2. Ma: 9.

non debent sacerdotes, qui corpora sua templum Dei viui, illi consecratum & sanctum polluunt? cū terribiliter omnium auribus inclamet Paulus: *Si quis templum Domini violauerit: disperdet illum Deus.*

1. Cor. 3.

4. Exemplū Dęmonū ingredientium porcos.

Sed nonne in Euāgelio legimus dæmonum legionem permittente Domino abijsse in porcos Gerasenorum, & totum illum gregem ad duo millia præcipiti cursu in lacum proximum egisse ac demersisse? Hoc autem mistycè nobis insinuat, eos omnes qui porcorum more luto libidinis obuoluuntur, nisi diuina occurrat benignitas, potestati dæmonum permittendos esse: & tandem in lacum damnationis æternæ præcipitandos. Cur igitur non timent eo edocti exemplo, ne illis spiritibus summopere id expetentibus, tandem Dominus potestatem faciat eos inuadendi ac enecandi, quos nunc benigniter inuitat & expectat ad pœnitentiam.

Demum

Demum Corinthius ille, qui incestum commiserat, legitur fuisse traditus Sathanæ in interitum carnis, vt ab eo affligeretur. Sed nonne consimilem pœnam timere debent sacerdotes, Deo non minus iniurij, cum prostituunt seipsos omni libidinis obscœnitati? Resipiscant itaque cum tempus habent, ne repẽtinus illis superueniat interitus. Scripta namq; sunt hæc ad correptionem nostram.

5. Exemplũ Corinthij incestuarij.

Exhortatiuncula ad sacerdotes incontinẽtes.

QVOD VITÆ INCONTINENTIA in sacerdotibus, est voti transgressio, à qua solus Episcopus aut eius vices gerens potest eos absoluere.

CAPVT XXI.

QVemadmodum autem religiosi in vitæ monasticæ professione astringunt se voto continentiæ obseruãdæ, ita & clerici in sacrorum ordinum susceptione, ex ipsa Ecclesiæ

publica constitutione, quæ decreuit vnumquemque sacris initiandum, debere continentiam perpetuam profiteri: quemadmodum ex multis locis vicesimæ octauæ distinctionis ipsius decreti est perspicuum, præsertim ex capi. Nullum: vbi B. Gregorius ita scribit Petro subdiacono. *Nullum facere subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se castè victurum promiserit, quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.*

Sacerdotes habere votum solenne continẽtiæ probatur.

Et est huiusmodi votum seruãdæ continentiæ in sacerdotibus, non simplex & secretum atque occultum: sed solenne, quod in aperto & si non voce, facto tamen & opere profitẽtur per sacrorum ordinum susceptionem: quibus Ecclesiastica sanctio annexuit perpetuam continentiæ legem: haud aliter quàm religiosi eandem solemniter vouent continentiam per ipsius

pſius religionis profeſſionem. Quare vt in Religioſis, ita & in ijs qui ſacris ordinibus ſunt initiati, prolapſio in incontinentiam eſt voti tranſgreſſio, & ſpecies libidinis peculiari nomine ſacrilegium nominata, adulterijque crimine grauior: quod in ea votum Deo ſolẽniter factum violatur. Et ad ſolum Epiſcopum ex Eccleſiaſtica ordinatione pertinet huius tantæ labis abſolutio, ſicut & adulterij, & ea inferioris. Neque poteſt quiſpiam authoritate & poteſtate Epiſcopi ea in parte carens (quem vulgò ſimplicem vocant ſacerdotem) in foro pænitentiæ quemquam relaxare ſua, aut abſoluere hoc flagitio contaminatum. Hæc dicta ſunt, vt cognoſcatur tanti mali (incontinentię ſcilicet in ſacerdotibus) grauitas atque enormitas, & cognita ſtudioſiùs euitetur. Ne etiam alios decipiant & decipiantur ſacerdotes aut petentes à ſimplice ſacerdo-

Incontinentia in ſacerdotibus eſt voti trãſgreſsio & ſacrilegiũ

Solus Epiſcopus poteſt abſoluere incontinentem ſacerdotem.

te absolui de hoc nefario crimine aut attentãtes absoluere alios quoniam & errant ipsi, & alios in errorem trahunt.

Erronea quorundam obiectio circa sacerdotũ incontinẽtiam.

Neque illorum probanda est, aut sequenda sententia, qui asserũt sacerdotem prolapsum in fornicationem cum muliere non alligata vinculo maritali vt concubina, aut in adulterium cum muliere nupta, grauiter quidem peccare (quoniam transgreditur præceptum Domini prohibens mæchiam) non tamen votum transgredi: quoniam (inquiunt) votum duntaxat fit de re aliâs licita, & quæ supererogationis. Fornicari autem & adulterari nunquam est licitum. Non ergo quispiam potest se voto astringere quòd nunquam fornicabitur aut committet adulterium: quandoquidem illa duo mala diuino præcepto sunt prohibita. Incidens igitur in illa mala sacerdos transgreditur præceptum Dominì, sed non

est voti

est voti reus, vt dicunt. Hæc potissima est eorùm ratio, qua suam nituntur fulcire sententiam: & consequenter astruere, sacerdotem absolutoria Episcopi virtute carenté, posse aut fornicatorios sacerdotes, aut adulterij reos absoluere in sacramento reconciliationis atque pænitentiæ ab hisce flagitijs, & nequaquam illos ab Episcopo relaxationem quærere debere, aut ad illum esse remittendos.

Ratio erroneæ obiectionis.

Sed certè mirum est istos & si eruditione insigni præstantes, famaque celeberrimos, ingenuè fateri religiosum, aut sacris ordinibus mancipatum, si vxorem duxerit, voti esse transgressorem: non autem si deteriora commiserit flagitia, & in turpiorem prolapsus fuerit incontinentiam, vt fornicationem aut adulterium, aut aliam quamuis extra matrimonij fædus & thorum. Verùm si apertè constiterit & præcepti diuini & voti ma-

Ostenditur absurditas huius opinionis.

teria,

teria, circa quam vtrumque versatur, liquidò censebitur omnis prolapsio in incontinentiam à religioso aut sacerdote commissa, esse voti transgressio.

Differentia inter præceptũ sextum & votum castitatis.

Per præceptum quidem diuinũ, quo mæchia vetatur, prohibetur omnium consensu atque confessione, omnis vsus Veneris extra thorum nuptialem. Per votum autem castitatis promittitur Deo solenniter perpetua continentia, firmo animo proposita, à quo nunquam vouens declinet. Atqui manifestũ est, perpetuam continentiam & ab omni Venere, tam in matrimonio, quam extra hoc fœdus abstinentiam de ijs esse, quæ sunt supererogationis, & quæ alias nulloque facto voto sunt licita. Fas est enim alicui, qui nullo se obstringit voto, non seruare perpetuam continentiam: sed in connubio indulgere proli procreandæ. Quare si votum comparetur ad suam propriã materi-

teriam, & obiectum circa quod consistit, constat vtique sacerdotes aut fornicantes aut adulterantes esse voti transgressores, quoniam non seruant perpetuam continentiam, quam Deo solenniter & publicè promiserunt. Et oppositam huic sequentes sententiam videntur ex eo fuisse hallucinati: quod nequaquam attenderunt propriam voti continentiæ materiam, vt debuerunt, sed solum diuini præcepti (quæ tamen duæ materiæ latè inter se discrepant, & magnam rationis habent diuersitatem.

Concluditur sacerdotes fornicantes esse voti transgressores.

Cæterum cum obijciunt ipsi sacerdotem in fornicationem aut adulterium prolapsum, esse præuaricatorem illius præcepti diuini, quo prohibetur mæchia, & omnis vsus veneris extra matrimonium: ex quo conficiunt eundem ob illa flagitia non debere censeri transgressorem voti, cum inter se longè diuersa sint præceptum & votum,

Solutio rationis aduersariorum.

admit-

admittitur ſanè quod aſſumunt in hac ſua ratiocinatione, ſed refutatur quod inferunt, quoniam ipſa inferendi ratio eſt inualida. Enimuero non eſt abſurdum neque incommodum, eundem actum ſecundum diuerſas rationes & eſſe contra præceptum Dei, & contra votum. Vt ſi quis religionem profeſſus furto abſtulerit pecuniam, eamque apud ſe clanculum & in ſuum vſum detineat, is præuaricatur Dei mandatum, quo furtum prohibetur, & ſimul votum ſpontaneæ paupertatis tranſgreditur, quòd proprium ſibi furtim aſſeruet. Si quis item aſtrictus obedientiæ voto ad ſeruandum ſilentium, in eius, qui illud indixit contemptum, laxet linguam: & obtrectatoria proferat verba, is haud dubiè præceptum Dei violat, quod iubet falſum teſtimonium, mendacium & detractionem non debere proferri in proximum & pariter o-

Exēplis explicatur difficultas.

bedi-

bedientiæ iugum abijcit, & votum soluit. Haud aliter cum sacerdos aut fornicatur, aut adulteratur, præuaricatur Dei præceptum: quo extra matrimonij legem vtatur Venere, simul etiam transgreditur votum, quo perpetuæ continentiæ (cui se astrinxit) integritatem non seruat.

Applicatio exemplorum.

Neque illud inconueniens censeri debet, in eodem opere malo & voti esse transgressionem & præcepti: quoniam sæpenumero in eodem actu vicioso multa complicātur diuersorumque generum mala, ob diuersas rationes. Exempli gratia, in adulterio est intemperantia venereorum itidem & iniustitia, alteri parti legitimi thori inferens iniuriam & nonnunquam pecuniæ hac via consequendæ cupiditas. Quòd autem diuersa prorsus sit præcepti diuini mæchiam prohibentis, & voti perpetuæ continentiæ ratio, ex eo dilucidè liquet,

In eodē opere malo potest esse & voti transgresio & præcepti.

quoni-

quoniam interdum contingit quē-
piam præceptum illud transgredi
& non votum, vt si quis nullo ob-
strictus voto labatur in fornicatio-
nem. Interdum vero posset quis
votum illud transgredi, & non prę-
ceptum iam assignatum: vt si quis
voto perpetuæ continentiæ obli-
gatus duceret vxorem, & ex ea so-
bolem quæreret. Tertio nonnun-
quam contingit neutrum eorum
violari: vt si quis post votum Deo
exhibitum in terram continentiæ
puritatem obseruet. Quid igitur
prohibet vtriusque præuaricatio-
nem, & voti (inquam) & præcepti
in eodem, re ipsa coniungi, manē-
te tamen semper rationum discre-
pantia atque diuersitate? vt in sa-
cerdote, concubinæ amoribus ir-
retitio, & hinc quartum constitui
membrum, quod ambo extrema
affirmando complectatur.

Adhortatio ad Episcopos

Cum itaque tam graue & horrē-
dum sit nefas sacerdotum inconti-
nentia,

nentia, ſummopere, ad eam extirpandam debent inuigilare Eccleſiarum præſides, paſtores & præſules, eamque labem, quæ totam commaculat Eccleſiæ faciem, decus & ſpeciem, funditus eradicare.

vt extirpent hoc vitiũ grauè in ſacerdotibus.

Commendatur planè dignis præconijs Eſdras ſcriba diuinæ legis, quòd peruigilem impenderit operam ad diſſeparandum mulieres alienigenas à populo Dei, poſt reditum de captiuitate Babylonica: quamuis connubii fœdere eſſent viris Iſraëliticis copulatæ, contra tamen diuinam ſanctionem. Quid igitur illius exemplo non elaborant Epiſcopi (quiſque in ſua Eccleſia) ad ſeiungendũ concubinas & mulierculàrum copulas à ſacerdotibus, longè grauiore infamia ac nota, quàm matrimonii titulo illis coniunctas, & cum pudẽdo totius Eccleſiæ opprobrio & ſcandalo eiſdem tectis cohabitantes?

Ab exemplo Eſdræ Scribæ. *Eſdr. 10*

Cur non exercent in eos ſacer-

dotes

Censuræ Ecclesiasticæ in quibus sint exercendæ.

dotes seueritatem illam, quam sancta patrum constituunt decreta? vt suspendant eos ab altaris officio, interdicantq; illis offerendi sacra, ministerium. perseuerantes autem in scelere, suis priuent Ecclesiasticis beneficijs, excommunicationeque percellant, & priuent aliorum communione, vt vel amaro hoc antidoto, curentur & resipiscant.

Innocētij secundi decretū in sacerdotes incontinētes.

Sic enim faciendum statuit Innocentius secundus in libro decretorum, distinctione vicesima octaua, capite decernimus: his verbis. *Decernimus vt ij, qui in ordine subdiaconatus aut supra vxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atq; Ecclesiastico beneficio careant. Cùm enim ipsi templum & vasa Domini sacrariumq; Spiritus sancti debeant esse & dici, indignum est eos cubilibus & immunditijs deseruire.*

Alexādri tertij decretum

Similiter Alexander tertius in titulo de cohabitatione virorum ac mulierum cap. Clericos: ita scri-

bit

bit Salernitano Archiepiscopo. *Clericos in sacris ordinibus constitutos qui publicè tenent concubinas per suspẽsionis & interdicti sententiam debes arctius cogere, vt mulieres ipsas à se ita remoueant, quod de illis sinistra suspitio non possit haberi. Et si qui eorum ad ipsas redire vel alias accipere fortè præsumpserint, in aliquos eorum debes perpetuam excommunicationis sententiam proferre, vt alij eorum exemplo perterriti à similibus arceantur.* (in concubinarios sacerdotes.)

Idem quoq; summus Pontifex Cantuariensi Archiepiscopo & eius suffraganeis in eodem titulo capi. Sicut ad tale mandatum, iniungit. *Mandamus quatenus in Clericos vestræ iurisdictionis, qui in diaconatu & supra fornicarias habuerint, studiosè monere curetis, vt à se illas remoueant, eas vlterius minimè admissuri. Si verò acquiescere contempserint, ab Ecclesiasticis beneficijs vsq; ad satisfactionem congruã eos suspendatis. Et si eas suspensi præsumpserint detinere, ipsos ab eisdem be-* (Eiusdem Alexandri tertij Pontificis mandatum.)

nefi-

neficijs perpetuò remouere cureti.

Multa pecuniaria à sacerdotib' non est exigenda.

Cæterum quoniam hac tempestate plerumq; pecunia mulctãtur sacerdotes ob incontinentiam: qua persoluta permittuntur in suo persistere malo, & publicè concubinis cohabitare. Et quoniam Pontifices, quorum interest huic grauissimo occurrere scandalo, non nullis in locis potiùs quæ sua sunt, quærunt, quam quæ IESV Christi, vt eorum crumena graui ære turgescat atq; referta sit ex huiusmodi peccatis collecto. Idcirco carnalis ille ignis concupiscentiæ inflammatus à gehenna, totam depopulatur Ecclesiam: & tanta suscitat vbique incendia, vt difficilè admodum restingui queant, quod quotidie ampliores ex prælatorum negligentia sumant vires.

Phil. 2.

Quid Præsidibus Ecclesiarum timendũ.

Quibus maximè formidandus est ille extremi iudicii dies, in quo acriter arguentur (nisi pœnitentiã agant) illius incuriæ, qua domum

Dei

Dei ſinunt tantis ſpurcitiis contaminari, & vſque adeò tetra labe ſordidari.

SIMPLICEM FORNICATIOnem eſſe peccatum mortale, ex multis & veteris & noui teſtamenti locis apertè conuinci.

CAPVT XXII.

Conſtat vtique ex prædictis ſacerdotum incontinentiam eſſe voti ſolennis præuaricationem, & ſummè deteſtabile malum. Sed age nūnc oſtendamus quod quamuis ipſa non eſſet voti tranſgreſſio, & vbi cum ſoluta committitur, atque concubina, ſimplex tantum foret fornicatio (vt nonnulli aduerſam nobis ſententiā aſtruentes contendūt, quamuis id nequaquam veritati conſonum putemus) nihilominus ea ſacerdotum in libidinem prolapſio, ſummoperè execranda & abominanda. Quòd facilè quidem

monſtrauerimus, ſi ex ſacris vtriuſq; teſtamenti eloquiis comprobauerimus, fornicationem ſimplicem (vt vocant) eſſe peccatum mortiferum, & quod animam occidit, perpetuęq; morti reddit obnoxiam.

Nonnullorũ falſa ſententia de Fornicatione.

Quod hoc loco non ocioſum erit, neque ſuperuacuum tentare: tum vt illorum improbetur ſentẽtia: qui ſcripto etiam reliquerunt, ex ſacris eloquiis euidenter colligi non poſſe, neque contra proteruos conuinci, quod fornicatio ſimplex peccatum ſit lethiferum.

Qua certè aſſertione iis, qui ad voluptates carnis propenſiores ſũt, faces addunt, & in perſuaſionem inducunt eam libidinis ſpeciem, leuẽ eſſe noxam, & quæ facilè veniam mereatur, vnde illis audaciam ſuggerũt ad illud mali genus fidentius perpetrandum. Tum vt confutetur illorum improbus error, qui putant huiuſmodi fornicationem

non esse lethale malum, & ita persuadere aliis tentant, vt multos habeant suæ libidinis astipulatores. Hi certè præcursores sunt Antichristi, & sectæ Epicureę prædicatores, imò diabolici dogmatis præcones, quos cacodęmon aliquis importunè instigat ad tantò euomendum virus, vt spurcitia Mahumeticæ fecis immaculatæ legi Domini præferatur. Hi igitur inimici crucis Christi, & diuinæ legis conculcatores valida acie impugnandi sunt, & acutis confodiendi telis. Frons eorum funda, & lapide veritatis est ferienda, & prorsus elidenda eorũ virtus atque ferocia, vt prostrati nõ amplius humo se attollant.

Negantes simplicẽ fornicationẽesse peccatũ mortale cui⁹ sint defensores.

In primis Exodi vigesimo capite, inter præcepta decalogi illud ordine septimum constituitur, *non mæchaberis*. Quo sanè præcepto nõ solùm adulterium vetatur (vt contendunt aduersarii dicentes nomine mæchiæ duntaxat adulterii cri-

Simplicẽ fornicationẽesse peccatũ mortale. 1. Probatur *Exo.* 20

men ſignificari & mæchari tantundem ſignificare atque adulterari) ſed ſecundùm Auguſtinum omnis vſus Veneris extra matrimonii fœdus atque thorum. Sub qua generali ratione manifeſtum eſt & fornicationem ſimplicem comprehẽdi. Eſto enim vti aſſerunt oppoſitæ partis ſectatores quod mæchia adulterium ſignet, & mæchari adulterari, & mæchus adulter, non tamen ex illo colligere rectè queunt ſolum adulterium eo diuino præcepto eſſe vetitum. Nam in dato præcepto & pleriſque reliquis, per vnum quod exprimitur malum, cætera conſimilis generis mala intelliguntur atque comprehenduntur. Nec non interdum alterius generis mala, quæ viam ad illa expreſſa aditumque miniſtrant, vt ebrietas ad libidinem, & ira ad homicidium.

Solutio obiectionis tacitæ.

Dicant (oro) ipſi fornicationis defenſores, nonne ſtuprum, raptũ,

A maiori ad min⁹.

ſacri-

ſacrilegium, & inceſtum, & enormiores libidinis ſpecies, quas ſupprimere quàm nominare ſatius eſt, fatentur eſſe peccata mortifera, & illo diuino præcepto prohibita? quæ tamen ab adulterio diuerſa ſunt, & non exprimuntur in Exodo. Si igitur illa fatentur comprehendi ſub mæchia, quæ eiuſdē mali continentur ambitu rationeq; communi: & eodē præcepto ſunt vetita quo mæchia, cur non conſimili iure fatentur & fornicationē ſimplicem comprehendi, nomine mæchiæ & illo præcepto, quod mæchari homines vetat, prohiberi? Eadem ſanè ratione, qua contendunt fornicationem non eſſe peccatum mortiferum, & non prohiberi eo præcepto, quod non exprimatur, neque mæchiæ nomine ſignetur conuicium & ſtuprum, & raptum, & alia vitiorum monſtra ad libidinem attinentia non eſſe etiam peccata lethifera nec illo pro-

Concluſio argumēti aduerſus fornicationis ſimplicis defenſores.

hiberi præcepto, quoniam neque exprimuntur, neque nomine mæchiæ designantur. Quod quàm absurdum sit, nec ipsi inficiari possũt.

Obiectio

Quod si instant alias libidinis species facile intelligi prohibitas nomine mæchiæ, siue adulterij, quoniam maiorem habent malitiæ grauitatem quàm mæchia, & minoris mali prohibitione, intelliguntur etiam maiora eiusdem generis mala prohibita. At fornicatio simplex minus est malum (inquiunt) quàm mæchia siue adulteriũ: quod non protinus innuitur prohibitum eodem iure aut præcepto quo mæchia. Non enim qui maius prohibet malum, continuò conuincitur eodem edicto, & minus malum eiusdem generis prohibere.

Ad obiectionem respõsio.

Adhibenda illis est responsio, à plerisque & stuprum & raptum infra adulterij malitiam collocari, & minora existimari mala, quàm sit adulterium: quare inualida erit

eorum

eorum ratio iam aſſignata, ſi id admittatur.

Sed ne hoc certamen nunc agatur, nihil in præſentia refert an ſtuprum & raptus minora ſint mala quàm adulterium: aut illi prauitate æqualia. Manifeſtum vtique eſt gulæ vitia crapulam & ebrietatem, minora eſſe mala, quàm mæchiam ſiue adulterium, attamen eodem quo mæchia prohibetur præcepto, & illa comprehenduntur. Alioqui nullum neque quintum dederis decalogi præceptum quo ventris ingluuies & bibacitas magis ſint vetita. Percurre ſedulò ſingula Dei præcepta, nullum profectò inuenies ſub quo potius contineatur eorum prohibitio, quàm iſtud, quod mæchari homines vetat. Quandoquidem edacitas & temulentia prębent irritamenta & pabulum ad effrenatam libidinem. Et cùm malum aliquod à Deo prohibetur, & antecedentia ipſum mala, quæ vi-

Probatur reſponſio & quidē à primo exemplo

 am pa-

am parant ad illud, simul prohiberi intelliguntur. Cur igitur simili iure fornicationem non admittent prohibitam eo præcepto, quo mechia, quamuis minus ea sit malum? quod consimilis sit generis, & plerumque ad mæchiam atque adulteriũ ob laxatas voluptatibus habenas gradum struat, occasionemque præstet.

Probatur responsio à secũdo exemplo

Præterea nonne ira, contumelia, conuitium, verberatio, mutilatio, eodem interdicta sunt nobis præcepto, quo homicidium? Nihilominus non exprimuntur in eo Dei mandato, non occides, & minora sunt mala, quàm cædes hominis. Sed sub occisionis nomine illa omnia comprehendũtur, quoniam solent plerumque breuia esse & præambula occisioni: atque ad eam concitatum hominis animum pertrahere.

Probatur responsio à tertio exemplo.

Eodem quoque modo mendacium sępenumero minus est malum, quam falsum testimoniũ,

attamen eodem vetatur præcepto, quo falsi testimonij prohibitio: & comprehenditur sub eius nomine, quod illi frequenter annectatur, aut ex assuetudine viam ad ipsum paret. Et, vt paucis agam, nullum dederis fere præceptum, quo multa non sint aut præcepta aut prohibita, quæ in eo non exprimuntur, quod sub expresso nomine in ipso præcepti contextu comprehendātur, & ad ipsum habeant reductionem. Sed pro adducta primo loco ratione, hæc sufficiant.

Conclusio primę rationis.

Rursum, Deuteronomij vigesimo tertio capite legitur Dominum dixisse ad Moysen. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filijs Israël.* Quibus quidem verbis, non quid futurum esset, simpliciter enuntiauit, nullam scilicet fore meretricem, nullumué scortatorem in populo Israël: quandoquidē continuò subiungit eodem loco: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretiū*

Secunda ratio: simplicē fornicationē esse peccatum mortale.

Deu: 23

Verus & german' sensus huius interdicti.

carnis in domo Domini Dei tui. quod ſanè nequaquam vetaret, niſi eſſent in eo populo meretrices & ſcortatores. Sed prohibuit Dominus hiſce verbis meretritiũ & ſcortationem in ea gente, quam delegit ſibi peculiarem, vetuitque fornicationem propriè ac ſpeciatim dictam, quæ ab ijs committitur qui nulla coniugij lege ſunt obſtricti.

Illatio.

At prohibitio diuina non fit de peccato leuis noxæ quod vulgò dicunt veniale quoniam totum genus mali, etſi præter præceptum ſit, neque propriè diuini mandati dicitur tranſgreſſio. Eſt igitur fornicatio particulatim ſumpta, graue malum & mortiferum.

Tertia ratio ſimplicē fornicationē eſſe peccatum mortale.

Inſuper, peccato veniali nunquam iuſtè pæna mortis indicitur, quod ipſum ob leuem culpam venia ſit dignum. Fornicationi autem ſimplici (vt vocant) iubetur à Domino inferri pæna mortis: qui Leuitici vigeſimo primo capite ait ad

Leu: 21.

Moy-

Moysen. *Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur.* Et Deuteronomij vicesimo secundo. *Si duxerit vir puellam vxorem, & non est in ea inuenta virginitas, eijcient eam ex domo patris sui & lapidibus obruent viri ciuitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israël vt fornicaretur in domo patris sui & auferes malum de medio tui.* Ecce ex vtroque loco iam adducto constat fornicationem diuino iussu morte mulctari debere. Quod & ante legem datã per Moysen diuino instituto etiam sancitum fuisse, ex eo colligitur, quoniam postquam Thamar nurus Iudæ filij Iacob grauida facta est ex socero suo, vbi illi nuntiatum est à populo. *Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus eius intumescere,* ipse rei (vt gesta est) ignarus, respondit. *Producite eam, vt comburatur.* Quod nequaquam faciendum definiuisset, nisi ante publico decre-

Deu:22

to constitutum nouisset, fornicationem mortis irrogatione plectẽdam esse.

Quarta ratio simplicẽ fornicationẽ esse peccatum mortale.

Sed & Deus ipse grauissimam intulit plagam toti populo Israëlitico, ob fornicationem perpetratam cum filiabus Moab, in qua occisa leguntur viginti quatuor millia hominum. Et quoniam æqua lance distribuit Deus pœnam pro delicti grauitate, reuera ex acerbitate plagæ recte colligitur magnitudo & grauitas criminis.

Quinta ratio simplicẽ fornicationẽ esse peccatum mortale.

Rursum. Tobias senior filium suum salutaribus instruens monitis, ait illi inter cætera. *Attende fili mi ab omni fornicatione.* Et ne quis suffugium quærens dicat ibidem fornicationem pro adulterio sumi, protinus subdit. *Et præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Certè qui ab omni fornicatione monuit cauendum, & ab ea, quæ cum scorto committitur extra cõnubij fœdera, etiam abstinendum

admonuit. Quandoquidem illa sub nomine fornicationis generatim sumpto comprehenditur. Sed quis dixerit sanctum illum virum admonuisse tam sedulò & studiosè filium, vt à leui & quod facilè veniam consequitur peccato, sibi caueret? cùm alia peccata, quæ ibidem fugienda numerat, vt adulterium, superbia, detentio mercedis alienę, iniuria in proximum, manifestè noscantur esse mortifera. Est igitur fornicatio propriè sumpta, graue peccatum & exitiale animæ. Illatio.

Adde quod Salomon in Prouerbijs de iuuene vecorde pellecto blanditijs lasciuæ & procacis mulieris ait. *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens & ignorans, & nescit quòd ad vincula stultus trahatur, donec trāsfigat sagitta iecur eius, velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.* Quibus plane verbis ipse Salomon designat Sexta ratio simplicē fornicationē esse peccatum mortale.

 illum

illum incurrere interitum & mortem animæ, qui meretricis trahitur illecebris ad malum. Quod etiam ex sequentibus eo in loco verbis euadit dilucidius, cũ de huiusmodi petulãte muliere subiungit. *Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea. Via inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.* Sed quæ sunt viæ inferi, nisi quæ ad inferna deducunt supplicia? quę interiora mortis, nisi mors animæ latens oculos carnis? Itaq; per blãdimenta & delitias huiusce mulieris apertè insinuat Sapiens, hominem pertrahi ad inferos & mortem æternam. Porro quamuis de adultera muliere fiat eo in loco primũ mentio, de scorto tamen & meretrice eadem non minùs habent veritatis & momenti. Quod præcedẽs litteræ contextus satis innuit.

Septima ratio simplicẽ fornicatio- Ad hæc. Fornicatores disperdet Deus, vt sui templi violatores, quemadmodũ scribit beatus Pau-

lus in

lus in prima ad Corinthios episto- nẽ esse
la, capite tertio, dicens. *Nescitis* peccatũ
quia templum Dei estis, & Spiritus Dei mortale.
habitat in vobis? Si quis autem templũ 1. Cor:3
Dei violauerit, disperdet illum Deus.
At vero leuis pecati reum nequaquam disperdit Deus sed venia dignatur.

Insuper peccatum leue atque venia dignum non excludit suum authorem regno cælorum, sed id solum, quod grauem habet annexam malitiam. Fornicatio autem præcludit illius æternæ vitę introitum, quemadmodum testatur beatus Paulus in prima ad Corinthios epistola, cap: sexto, cum ait. *Neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores: neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei poßidebunt.* Idem quoque in epistola ad Galathas capite quinto, inter opera carnis enumerat primo loco fornicationem, & sub-

Octaua ratio simplicẽ fornicationem esse peccatũ mortale.

1. Cor:6

Gal: 5

iungit quod *qui talia agunt, regnum*
Eph. 5. *Dei non consequentur.* Denique in epistola ad Ephesios capite quinto, eandem confirmat sententiam dicens. *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.*

Respondetur tacitæ obiectioni.

Neque illorum valet effugium, qui causantur in loco Pauli ex epistola ad Corinthios iam citato, fornicationis nomen generatim sumi, vt sub se complectatur adulteriũ, & alias libidinis species. Quo quidẽ modo nonnunquam in scriptura sumptum inuenitur, quandoquidem reliquæ præter fornicationem propriè sumptam libidinis pestes, nominatim deinde eodem in loco à Paulo explicantur. Vt inde intelligamus, id nomen inibi in sua particulari ratione sumi.

Nona ratio sim-

Rursum, furtum confessione & iudicio omnium est peccatum in-

ferens mortem animæ, quoniam septimo decalogi præcepto manifestè prohibetur, & Regni cælorũ obstruit aditum, vt iam ex Pauli verbo in Epistola ad Corinthios adductum est in ratione præcedente. Atqui fornicatio est furto deterior, quoniam nõ homini sed Deo aufert quod suum est scilicet corpus, quod spurca libidine polluit, quemadmodum ait Beatus Paulus in prima ad Corinthios Epistola, capite sexto. *Corpus autem non fornicationi sed Domino, & Dominus corpori.* Et iterum: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollēs ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Et certè quantò corpus humanum pecunia & bonis externis est præstantius (est enim secundùm Euangelicam sententiã corpus, plus quàm vestimentum) tantò fornicatio deterior est furto, quòd ipsa lõgè digniùs auferat bonũ, non & homini tantũ sed & Deo.

plicem fornicationem esse peccatum mortale.

1. *Cor.* 6

His

Decima ratio ſimplicem fornicationem eſſe per peccatum mortale. *Heb: Vltimo.*

His accedit, quod fornicatio à Deo condemnatur ad mortẽ æternam, diuinoq; reſeruatus iudicio punienda, cùm dicat Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos vltimo capi. *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Quis igitur addubitat, ipſam inter mortifera peccata eſſe collocandam?

Vndecima ratio ſimplicẽ fornicationem eſſe peccatum mortale.

Adde quod Beatus Iacobus ad conuerſos ex gentibus ſcribens, præſcribit eis inter cætera legem vt abſtineant à fornicatione, quemadmodum referunt acta Apoſtolica. Quis autem dignum duxerit peccatum leue & modicæ à recto deuiationis, tàm ſtudioſè à tota ſanctorum Apoſtolorum ſynodo litteris publicis prohiberi debere? Eſt igitur grauè illud malum, quod tãta ſolicitudine noſcitur vetitum.

Duodecima ratio ſimplicẽ fornicationem eſſe peccatum mortale.

Poſtremum. Fornicatio demergit hominem in lacum damnationis æternæ, atque morti ſecundæ (quæ interminata eſt) reddit ad-

dictum,

dictum, vt testatur Beatus Ioannes in Apocalypsi. *Timidis* (inquit) *& incredulis, & execratis & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis & idololatris & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure,* quod est mors secunda. Est igitur ipsa lethale peccatum, & animam à Dei gratia atque consortio separans, quod est propositum à principio intentum. *Apoc.21*

Possunt & alię complures rationes ab iis adduci, qui diligenter sacras literas rimantur, ad eandem astruendam sententiam. Sed quæ nunc adductæ sunt, in præsentia sufficiunt. Nunc quibus remediis tantò malo occurratur, est explicandum. Conclusio.

PARSIMONIAM IN VICTV euitationemq; ocij simul & familiaritatis cum mulieribus, multum conferre ad sacerdotum continentiam seruandam.

CAPVT XXIII.

At ve-

AT verò quoniam parum conducit morbi grauitatem cognoſcere, niſi etiã explorata habeantur remedia, quibus deuitari poſſit aut curari, operepreciu m eſt & hoc loco paucis oſtendere, quæ adhiberi debeant remedia ad tollendam hanc grauem, cùm corporis tùm animi peſtem, incontinentiam ſcilicet ſacerdotum, & quibus viis continentiæ integritas conſeruari in ipſis poſſit incolumis.

Et licèt ex iis quidem quæ in opuſculo de laude monaſticæ religionis & in altero de laudibus ſacratiſſimæ virginis Cæciliæ annotauimus, dinoſci perſpicuè poteſt ipſius continentiæ atque caſtitatis præclara laus & excellentia, necnõ qua ratione & modo debeat integra cuſtodiri: hic tamen nonnihil de eadẽ re diſſerere non fuerit ſuperuacuũ.

Victus parſimo-

Itaq; tria potiſſimũ aſſignantur anti-

antidota contra exitialem morbũ carnis illecebræ.

nia est primum continẽtiæ remedium.

Primum est in victu parsimonia, & potus cibique parcitas, atterens lasciuiam carnis, & non sinens eam ferocire aut insolescere in spiritum. Quippe secundùm Sapientis sententiam. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Spiritui autem serua debet esse caro. Ne igitur contumaciter insurgat lasciuiens in spiritum non est delicatè enutrienda neque fouenda. Quod & præclare Origenes homilia nona in Leuiticum testatur, ostendens nos irrationabiliter de carnis infirmitate & rebellione in spiritum conqueri, quam delicijs & voluptatibus fouemus, vt contra animam violentior insurgat. *Non auditis* (inquit) *ex diuinis scripturis, quod certamen est inter homines caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem? & nescitis quia si carnem solam nutriatis, & ipsam*

Pro. 29.

Præclara Origenis sententia. Homilia 9. in Leuiticum

Gala. 5.

fre-

frequenti mollitie ac iugi delitiarum fluxu foueatis, insolescet necessariò aduersum spiritum, & fortior illo efficietur? Quod si fiat, sine dubio eum in ditionem suam redactum suis coget legibus ac vitijs obedire. Si vero ad Ecclesiam frequenter veniens aurem literis diuinis admoueas, explanationemq́; mandatorum cælestium capias, sicut cibis & delitijs caro, ita spiritus verbis diuinis conualescet, ac sensibus & cupiditatibus robustior effectus, carnem sibi parere coget ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt diuina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his conualescit, his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere, quia volumus & non possumus. Volumus continenter viuere, sed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur stimulis eius. Tu das stimulos carni tuæ, tu eam aduersus spiritum tuum armas & potentem facis, cùm eam carnibus satias, vino nimio inundas, omni mol-

Notatu digna.

litie palpas, & ad illecebras nutris. Hæc Origenes.

Secundum remediũ contra carnis incontinentiam eſt ocij deuitatio, & aſſidua in honeſto opere occupatio. Quod non ſubticuit Poeta cum ait. *Ocia ſi vites, periere cupidinis arcus.* Et rurſum. *Quæritur, Ægiſtus quare ſit factus adulter. In promptuario eſt, deſidioſus erat.* Ocii declinatio eſt ſecundum continentiæ remediũ. *Ouidi.*

Et Ezechiel Propheta cauſas aſſignans horrendi flagitij Sodomitarum ait. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & ocium ipſius, & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ ſunt & fecerunt abominationes coram me, & abſtuli eas ſicut vidiſti.* Vbi inter cauſas enormitatis eorum, abominabilis aſſignatur ſaturitas panis & ocium. *Eze. 16.*

Præ cęteris hiſtoriarũ lectio, magnũ confert adiumẽtũ ad ocij deuitationem, & plurimum affert do- Commẽdatur ſacerdotibus hiſtoriarum lectio.

ctrinæ,

ctrinæ, quoniam per hanc priscis seculis res gestæ, ac si præsenti gererentur tempestate, cognoscuntur, & ex ijs velut speculo quodam oculis oblato, quid facto opus sit, mens prouida perspicit. Quid enim magis hominem vel deterret à vicijs, aut animat ad virtutem, quàm quod hystorica enarratione intelligit eos, qui iustitiam & honestatem coluerunt, lætos semper & optatos habuisse rerum suarum exitus? Prauos autem, versipelles, sanguinarios, & Sardanapalicos, infelici fine dies suos clausisse? Nihil denique inuenias quod cum vtilitate coniunctam habeat adeò synceram voluptatem, vt historiarum cognitio. Per quam antiquis seculis res peractæ, haud minus à nobis perspectæ habentur, atque si illa fuissemus tempestate. Et quæ vno tempore ac loco contigerunt in angusto orbis angulo, in omne tempus & omnem locum, totumque

Historia instruit vitam hominis.

per or-

per orbem extenduntur. *Est enim historia (vt tradit Cicero) temporum testis, veritatis lux, vitæ memoria, vitæ magistra, nuncia vetustatis.* Cuius prima lex est, ne quid falsi dicere, deinde ne quid veri tacere audeat, vt neque suspitio gratiæ sit in scribendo, neque simultatis in subticendo. Est etiam historiarum & annalium notio, cùm omni hominũ generi, tum principibus & ijs qui ad rerum publicarum moderamenta assumuntur, in primis necessaria. Nempe per rerum quondam gestarum memoriam, viri solertis prudentia dubijs in rebus instruitur, quid potissimum sit faciendum, & prius actorum recordatio similium consiliorum admonet, aut ab eis dehortatur, quinimo præteriti ratio scire futura facit. Neque certius speculum vllum est in regnis ac ciuitatibus gubernandis, quàm historiale, quo præteritis futura conferimus, sine cuius inspectione, ne-

Historiæ descriptio.

Conditiones historiæ.

Historia illuminat intellectũ hominis.

Historia comparatur speculo.

que princeps neque magistratus in regenda republica sagax, prouidus & solers esse poterit, quòd idoneo careat directore.

Tertium remediũ contra carnis petulantiã.
Eccl. 9.

Tertium remedium contra carnis petulantiam est mulierum contubernia, colloquia & familiaritatem omnem refugere. Nam vt ait Sapiens, *propter speciem mulieris multi perierunt. & ab hac, concupiscentia velut ignis exardescit.* Non potest stuppa diutius igni præsens esse, quin exuratur. Vir omnis stuppa est, mulier ignis. Idem admonet Hieronymus, dicens, 32. dist. cap. Hospitiolum: *Hospitiolum tuum aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant: quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum periculosis accessibus copulatur. Fœmina conscientiam secum pariter habitantis exurit nunquam de mulierum formis disputes. Fœminæ nomen tuum nesciant. Fœminam quàm bene videris conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia*

Si bonum

Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere. Et Isidorus: *Si vis à fornicatione esse tutus, esto à muliere corpore & visione discretus. Circa serpentem enim non eris diu illæsus, ante ignem consistens & proximus, à periculo diu tutus non eris. Licèt ferreus sis, aliquantum dissòlueris.* 1. Cor. 7.

Ex familiaritate cum mulieribus oriuntur detestāda consortia, hinc concubinatus, stupra, adulteria, incestus, & alia quæque grauissima peccata, quæ Deus iustus iudex nō relinquit impunita. Si enim Nadab & Abiu filij Aaron, repentino perierunt interitu, percussi à Domino, quòd ignem alienum obtulerint in lege typica & vmbratili: non effugient grauiores pœnas, qui ignem concupiscentiæ succensi, prorsus alieno à voluntate Domini, audent polluto corde, ore & manibus Sacratissimum Christi Corpus attrectare. Proinde, aqua lachrymarum & lauacro pœnitentię,

hic ignis alienus, hæc vitiorum incendia restinguenda sunt.

EXHORTATIO AD SACERdotes loco Epilogi, vt dignè pro sua vocatione viuant.

CAPVT XXIV.

CVm ad finem iam mea festinet oratio. Vos ego sacerdotes per dignitatem vestram sacerdotalem rogo plurimùm vt quàm diligentissimè con-
Hieronimus in Ezechielem. sideretis, quid S. Hieronymus in Ezechielem de dignitate sacerdotali. *Grandis* (inquit) *dignitas sacerdotum, sed grandis ruina si peccant. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quãti mæroris de sublimioribus corruisse, nec enim solùm pro delictis nostris reddemus rationem, sed pro omnium, quorũ abutimur donis, & nequaquam sumus de eorum salute soliciti.* Adhibete e-
Gregorius. tiam benignas aures verbis Gregorij, quàm difficilis est vestra prouin-

cia, ita in Ezechielem contestantis. *Nos qui sacerdotes vocamur supra ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidiè tepidi & tacentes videmus.* Discite insuper ex eodem, quàm noxij sunt & perniciosi in Ecclesia praui sacerdotes, cum dicit in registro. *Causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali. Quis enim se pro peccatis populi intercessor obijciet, si sacerdos, qui orare debuerat grauiora committat?* *In Ezechielē.*

Neque obsurdescite ad verba Chrysostomi, eandem approbantis sententiam in homilia super illud verbum Matthæi: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Multi,* inquit, *sacerdotes, multi in nomine, sed pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram, quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram. Non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit* Chrysostomus in verba super Cathedram. *Mat. 23*

ab illa: qui malè sederit, iniuriam facit cathedræ: In iudicio enim sedes. Si bene vixeris quidem, & bene docueris, omnium iudex eris. Si autem bene docueris & malè vixeris tui solius. Nam bene viuendo & bene docendo, populum instruis quomodo debeat viuere. Bene autem docendo & male viuendo, instruis Deum quomodo te debeat cōdemnare.

Eundem iterum sanctum patrē Chrysostomum attenti audite, plane ostendentem ex bona sacerdotū vita & doctrina omne in populo pendere bonum: ex improba verò eorum vita & peruersa doctrina, cuncta proficisci mala, cùm in homilia vigesima sexta in Matthæum exponit illa verba Euangelij. Et ingressus Iesus in templum, cœpit eijcere vendentes & ementes de templo: *Hoc* (inquit) *erat boni medici, vt ingressus ad infirmam ciuitatem soluendam, primum ad originem paßionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic & de templo omne*

Chrisostomus Homilia 26. in Matheum.

malum

malum procedit. Quemadmodum medicus quando primum ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primum festinat, quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est: si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est. Ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Cor autem & stomachus sacerdotes dicuntur: quia in rebus spiritualibus, per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiæ locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis, Esaia dicente: De Regibus quidem omne caput in dolore: de sacerdotio autem, omne cor in tristitia.

Similitudo à stomacho scripta.

Sicut enim stomachus accipiens cibũ, coquit eum in seipso, & per totum corpus dispergit, sic & sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per scripturas ex Deo: & excoquentes eam in se, id est, tractantes & meditantes apud se, vniuerso populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante, vnum quodq; membrum

 suscipit

suscipit nutrimentum, & conuertit illud in se secundum suam naturam, vt puta quod suscipit iecur, totum fit sanguis. Quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum: quod verò ascendit ad pulmonē, flegmata fiunt: quod autem in mammillas, efficitur totum lac. Sic sacerdotibus in Ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt: vnusquisq; autem conuertit illud secundùm proprium cor: ita vt vnū idipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam: in cordibus autem peruersis, suscitet iracundiam quasi bilis ? in alijs autem operatur dilectionē dulcissimam quasi lac: in alijs autem odia, quasi flegma nociuum & expuendū.

Videte ergo sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo & in opere, quoniā sicut in corpore si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omninò languet & stomachus: si autem stomachus languerit: omnia membra inueniūtur infirma, sic si aliquis Christianorum peccauerit, non omninò peccant & sacerdotes: si autem & sacerdotes fuerint in peccatis, totus po-

tus populus conuertitur ad peccandum. Ideo vnusquisq; Christianorum pro suo peccato reddet rationem, sacerdotes autem non solùm pro suis, sed & pro omniũ peccatis reddituri sunt rationem. Hæc Chrysostomus.

Considerate pręterea ô sacerdotes, quàm terribile iudicium Deus comminatur per Prophetam in Psalmo ijs, qui indignè se ingerunt grauibus onerati vicijs ad immolandum Deo sacrificium laudis. Peccatori, inquit, dixit Deus. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Et paulò post. *Hæc fecisti & tacui. Existimasti iniquè quod ero tu similis, arguam te & statuam contra faciem tuam.* Deinde salubriter omnes admonet & solicitè: *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.*

Grauis Dei expostulatio.

De quo Psalmista loquatur.

Quem quidem Psalmi locum ad literam exponunt nonnulli eruditione præstantes viri, non solùm de sacerdotibus annunciantibus populo verbum Dei, & improbam agentibus vitam : sed & de ijs, qui functionem habent sacerdotalem, eamque exercent, offerentes Deo sacrificium iustitiæ, attamen peruersis & corruptis sunt moribus, quibus interminatur & acerrimam reprehensionem & durissimum iudicium, & interdũ repentina morte illos rapit, & non est qui de manu eius rapiat eos.

Applicatio loci prolixa per singula.

Verùm ne in illud incidatis triste iudicium, cauete solicitè vobis ab omni labe peccati, quæ in mente signatur per maculam aliquam corporis in Leuitico expressam : ob quam reijciebantur qui de semine Aaron erant, ab officio sacerdotij. Non sit in vobis cæcitas animi, & ignorantia eorum quæ ad vestrum munus ritè exercendum sunt necessaria.

ſariâ. Non ſit item in vobis claudicatio, declinatioque aut in dexteram aut ſiniſtram à ſemita iuſtificationum Dei. Non ſitis præterea paruo vel grandi tortoque naſo, deſtituti recta diſcretionis menſura: qua virtutes à vitijs diſcernuntur, ſicut naſo ſuaues odores ab olidis. Non ſitis itidem fracto pede aut manu, inepti ad gradiendum recto calle mandatorum Dei, aut impotentes ad rectè operandum. Non extumeſcat inſuper gibbus in dorſo mentis veſtræ, per elationem atque inflationem animi, ob officij dignitatem aut Dei beneficia turgentis.

Non etiam deformet atque deturpet oculos veſtros internos aut lippitudo, aut albugo, obſcuritaſque intellectus impediens clarè ea perſpici, quæ ad veſtram pertinent adminiſtrationem, aliorumque directionem. Cauete ſimiliter à iugi ſcabie, gaſtrimargia ſcilicet & victus intemperantia: qua ſemper ad ci-

bum & potum feruet concupiſcentia. Nec minus vos cuſtodite a petulantia prurientis carnis, & illecebris inſanæ libidinis. Deniq; non ſitis hernioſi, id eſt, nimio pondere terrenorum affectuum prægrauati, inhianteſque pecuniæ, aut etiam marcentes ocio ad bona opera tardi.

Attendite rurſum diligenter, ne qua in vobis ſit labes animi prohibens à digna perceptione ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſignata per aliquã corporis imperfectionẽ, ob quam

Leu.22. prohibiti leguntur in Leuitico Iudæi à manducatione ſanctificatorum: Non appareat primum in vobis lepræ deformitas: neque ſeminis profluuium, concupiſcentiæq; carnalis affectio. Nulla rurſum cõtrahatur in vobis ex contactu morticinij immundicia, ne cum perditis viris & ſceleratis frequentẽ habentes conuerſationem, ſentiatis nequitiæ eorum contagia, quoniã

vt dicit

vt dicit Ecclesiasticus: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo induet superbiam.* Eccl: 24
Nulla item ex esu immundorum, locum in vobis habeat impuritas, nullusque ex crapula, ingluuie & commessatione deprehendatur peccati reatus.

Non sit identidem quisquam in vobis alienigena, & ab Ecclesia Dei alienus, anathemateque præcisus: neque inquilinus, & firma animi sede apud se nequaquam constans, neque certo domicilio in boni operis proposito fixè collocatus. Nō sit itidem quispiam vestrum mercenarius, & soli lucro pecuniario in sacrorum administratione gregisque Dominici cura præcipuè intentus. Denique nullus eneruati animi mollitie, effæminataque mēte filiam sacerdotis referat: quoniam neque ipsi sacerdotis filiæ, neq; alijs septem hominum generibus modo ordine certo digestis licuit

ijs quæ sanctificata fuerant vesci. Quantò igitur minus licebit sacerdotibus, aliquo vitiorum genere per hasce corporales passiones contaminatis, sancta atque incoinquinata contingere mysteria, cum terribiliter comminetur Dominus omnibus sacerdotibus, loquens ad Aaron & filios eius, *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ cõsecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Isràél Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino?*

Leu. 22.

Finis est exhortationis & totius opusculi.

Sic denique vestros mores conponite ô sacerdotes, sic vestrum sine reprehensione exercete officiũ, sic pro dignitate vestræ vocationis vitam probam & sanctam agite, vt digni habeamini cum summo sacerdote Domino nostro Iesu Christo recipi in æterna cæli taberna cula. Cui cũ Deo patre & Spiritu sancto sit laus, honor & gloria, in sempiterna sæcula, Amen.

REVEREN,

REVERENDI PATRIS
IOANNIS BVSÆI
SOCIETATIS IESV, IN SINGVLAS
Hebdomadæ ferias distributæ.

MEDITATIONES DE SACERDOTVM *dignitate & virtutibus.*

MEDITATIO I.

Feria secunda.

De dignitate Sacerdotũ generatim.

I. C*Onsidera quam præclara nomina à S. Scripturis & SS. Patribus Sacerdotibus tribuantur. Vocantur* 1. *Angeli*, Malach: 2. Labia Sacerdotis custodiunt, scientiam & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. 2. *Vicarij Christi Lucæ* 10. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. 3. *Sol terræ, lux mundi, & lucernæ super candelabra positæ. Matth:* 5. 4. *Pastores, Doctores, & dispensatores mysteriorũ Dei. Ioannis* 10. *&* 21. *Ephes:* 4. 1. *Cor:* 4. 5. *Episcopi, Pontifices & Præpositi,* 1. *Tim:*3.

Tit: 1.

Tit: 1. Heb: 5. 13. 6. mediatores inter Deum & homines, clauigeri cæli, cubicularij Christi, principes populi, primitiæ Domini, primogeniti Israël.

2. *Considera, quantò honore affecti fuerint, tum in veteri, tum in nouo testamento, imò etiam apud gentiles. Nam in veteri hæreditatem non habuerunt inter cæteros Iudæos, vt est Num: 18. Sed Dominus erat hæreditas eorum. In nouo quoq; ex redditibus Ecclesiis vel cænobiis piè oblatis vitam traducunt, ideò clerici dicti, quia in sortem Domini vocati sint, vel quia pars Domini & ideò singulari quodam ritu à solis Episcopis ad hunc gradũ Deo consecrantur. Sed nec vllus sibi honorẽ assumere potest, nisi vocatus sit à Deo tanquã Aaron. Hebr: 4. Deinde Constantinus Imperator tantoperè eos veneratus est, vt dixerit,* Si Sacerdotem viderem peccantem, cũ fœmina pallio meo contegerem. *S. Martinus Episcopus Turon. prandens cum Cæsare, prius socio suo quòd esset sacerdos, poculũ porrexit, quàm Cæsari. Sulpit. in Vita. Beatus Ambrosius dicit regum ac Principum, colla genibus submitti sacerdotum, eosq; osculata eorum de-*

orum dextera, credere se eorum Orationibus adiuuari. B. Gelasius Papa in Epist ad Anastasium Imperatorem. Duo sunt, *inquit*, Imperator, quibus principaliter hic mundus regitur. Auctoritas Sacra Pōtificum & Regalis potestas, in quibus tantò grauius est pondus sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino examine sunt reddituri rationem. *96. distin: cap. 12*

3. C*Onsidera. Sanctissimos quosq; ob summam eius dignitatem refugisse sacerdotium, vt S. Antonium, S. Pachomium, S. Benedictum, & S. Franciscum, cui hærenti an fieri deberet sacerdos, cùm esset diaconus, in via occurrit Angelus gestans vitrum pellucidum clarissimo liquore plenum, dixitq; sacerdotis animam similem esse debere illi liquori. Vnde ille sacerdos fieri noluit, quia tantā suæ animæ puritatem esse non putauit. Multi quoq; Sancti & ætate prouecti eremitæ monasteria deseruere, ne ad sacerdotium proueherentur: alij verò iam ad illud prouecti, vel etiam ad Episcopatum in remotas terras abierunt, ne agnoscerentur, vt Ioannes Silentiarius & alij. S.*

alij. S. Marcus quoq; dicitur ſibi abſcidiſſe pollicem ne fieret Sacerdos, & S. Ammonius aures ne fieret Epiſcopus.

MEDITATIO II.

Feria tertia.

De cauſa dignitatis Sacerdotum nouæ legis.

1. C*Onſidera dignitatem Sacerdotum noua legis, ſumi ex duplici poteſtate illis collata, ordinis & iuriſdictionis. Ratione ordinis poſſunt conſecrare Corpus & Sanguinem Domini: ratione iuriſdictionis poſſunt homines abſoluere à peccatis & Eccleſiam gubernare.* 2. *expende quàm admiranda ſit illa poteſtas conſecrandi. Magnum beneficium credimus præſtitum. Ioſua* 10. *quòd imperio ſuo fecerit ſiſtere Solem*, obediente Domino, *vt loquitur ſcriptura*, voci hominis, *ſed multò maius præſtitum eſt cuiq; ſacerdoti. Ille enim fecit ſtare ſolem, vbi antè erat, at ſacerdos ſiſtit Chriſtum in Cœlo exiſtentem, vbi ante non erat, id eſt, in altari, illi creatura obediuit, huic creator, illi ſol ſemel*

loquenti

loquenti obediuit, huic Deus, quoties verba consecrationis eloquitur, obedit. Quis sacerdos tam stupidus est, qui considerans tàm stupendam Christi erga se obedientiam, summi Regis ad subditum, Dei ad creaturam, non vicissim libenter obtemperet Dei mandatis? Quis cum B. Ioanne Baptista non dicat. Ego à te debui Baptizari, *tibi debui obedire,* & tu venis ad me, *tu mihi obedis? Math: 3.*

2. C*Onsidera honorem qui ante incarnationem datus est Angelis, vt in persona Dei dicerent. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Exod: 3. Actor: 7. nunc deferri omnibus Sacerdotibus, qui apud Malachiam etiam vocantur Angeli. Nam non in persona sua sed Christi dicunt in consecratione Eucharistiæ. Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei. Matth: 26. vnde sunt quasi Vicarij Christi & quasi Christus ipse. Quod qui cogitat, quomodo non potest non vitam ducere sanctissimam, ab omnibus sordibus pudicitiæ alienam? Quid enim Christo sanctiùs? Quæ conuentio Christi cum peccato & Belial?*

2. *Considera, præsepè, Crucem, Sepulchrum, domum Bethlehem, quia attigerunt Christum,*

res sau-

res sanctas haberi, ad quas spectandas, tangendasq́ homines longa itinera conficiunt, cur ergo non sit sanctus sacerdos, ad quem Christus non iam mortalis, sed immortalis & gloriosus quotidiè diuertit?

3. *Consídera, quanta dignitas sacerdoti accedat ratione potestatis iurisdictionis cũ priori coniuncta, nempè vt parem quasi potestatem cum Deo obtineat, nempè remittendi peccata & ligandi. Dei enim solius est remittere peccata & infundere gratiam, & tamen tam efficax ei potestas ea dimittendi data est, vt quæ ipse dimiserit, dimissa etiam sint in cælis, vt liquet ex cap. 16. & 18. Matthæi. Ac proinde dum confitentes absoluit, disertè dicit.* Ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, &c. *Vnde sequitur eius linguam esse clauem, qua clauditur infernus, & cœlum aperitur. 2. Cõsidera eundem sacerdotem esse constitutum mediatorem & sequestrum, inter Deum & homines, vt sacrificia offerat pro hominum peccatis, vt precibus suis iram Dei auertat, vt verbo & exemplo oues sibi subiectas pascat, & animam suam pro salute earum curanda ponat, cum*

nat, cum obligatione rationem reddendi in die iudicij, si vel vna eorum pereat. Vnde fit, vt, cum in Ecclesiam ab omnibus conuenitur, toto populo in genua procumbente solus sacerdos erectus stet ad altare, velut pro toto populo vnus decertans. Quis verò tàm ingratus sit, vt considerans in quàm sublimi gradu à Deo sit collocatus, adhuc se abijciat in lutum peccatorum, & fiat sacerdos, sicut populus?

MEDITATIO III.

Feria quarta,

De Virtutibus, quas inesse Sacerdoti vult Apost. Paulus, *1. Tim: 3. & Tit: 1.* Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.

1. C*Onsidera nomine Episcopi intelligi sacerdotem, maximè curatum, vel qui aliorum curam gerit. Episcopus enim Græcè, latinè idem est, quod superintendens, itaq; possunt eo nomine quoq; intelligi Confessarij & Concionatores, quorum est saluti aliorum promouendæ incumbere. 2. Considera has virtutes requiri à B. Paulo in sacerdote. 1. vt sit sobrius, in*

brius in potu, 2. prudens prudentia spirituali & moderatus, ne manus cito imponat ordinandis, vel Ecclesiæ dignitate ornandis; alioquin enim communicabit peccatis alienis, 1. *Tim:* 5. 3. *ornatus, id est modestus in habitu & incessu.* 4. *pudicus in verbis & factis.* 5. *benignus & mansuetus.* 6. *iustus,* 7. *Sanctus.* 8. *modestus, non turbulentus.* 9. *hospitalis.* 10. *amplectens fidelem sermonem, id est, zelosus in fide Catholica.* 11. *Doctor & aptus ad docendum, vt potens sit eos qui contradicunt coarguere.* 12. *continens ab vxore, si quàm fortè ante ordines duxit.* 13. *suæ domui bene præpositus.* Si quis enim domesticorũ curam non habet, est infideli deterior. *1. Timoth: 5.*

2. C*Onsidera Apostolum velle, Primò, vt sacerdos non sit superbus.* 2. *non iracũdus.* 3. *non litigiosus.* 4. *non percussor, vel manu vel lingua, id est, detractor & columniator.* 5. *non vinolentus.* 6. *non turpis lucri cupidus, nec auarus.* 7. *irreprehensibilis, id est, quem nemo queat iure reprehendere, quiq; nullam det occasionem iustæ querelæ, vel etiam qui nullius mali sibi scit conscius.* 8. *vt sit vnius vxo-*

nius vxoris vir, hoc est, qui defuncta vna vxore priori, non duxerit secundam, vel qui plures simul vxores non habeat.

3. C*Onsidera ideò tantam perfectionem ab Apostolo exigi in sacerdote, quia, vt omnes Patres docent, quo quis est sublimioris status, & ordinis, hoc ad ampliorem virtutum perfectionem tenetur secundùm illud. Luc: 12.* Cui plus datum est, plus exigetur ab illo. *& Sap: 6.* Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur. *& S. Gregorius. 3. past. admon: 5.* Sicut Prælatus, *inquit*, tot coronas sibi multiplicat, quot Deo animas lucrifacit, sic si peruersa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suę perditionis exempla transmittit. 2. *Considera sacerdotem debere esse omnium virtutum, maximè autem fidei, spei, caritatis in Deum & proximum, humilitatis, pietatis, & castitatis, speculum & exemplar; si enim lux est mundi & lucerna super candelabrum posita, debet luce doctrinæ suæ & vitæ exemplaris illustrare omnes: si sal est terræ, debet omnes à corruptione peccati conseruare,*

si pater

si pater & magister omnium fidelium, debet in se ostendere, quod omnes imitentur.

MEDITATIO IV.
Feria quinta,
De præstantia fidei & spei in Sacerdote.

1. C*Onsidera Sacerdotem imprimis debere esse in fide Catholica Romana, sine qua impossibile est placere Deo, constantissimùm & certissimùm, quia eius velut Magistri & Pastoris est populum in fidei articulis instruere, eandem contra hæreticos, hoc tempore maximè, diligenter & ardenter defendere, modum item resistendi tentationibus Dæmonis, mundi & carnis tradere, imò si necesse sit etiam pro ea sanguinem profundere. Bonus enim Pastor animam suam dat pro ouibus suis,* Ioan: 10. *in vera fide conseruandis.* Labia Sacerdotis, *ait Malachias,* Malach: 2. custodient scientiam, & legem Dei requirent ex ore eius. 2. *Considera hoc præfiguratum in veteri lege.* Num: 10. *vbi iussi sunt sacerdotes dum iniretur prælium, inflare*

tubas,

tubas, vt earum clangore miles redderetur animosior. Cùm autem bella ſpiritualia periculoſiora ſint & crebriora quàm illa corporalia, ardentiùs ſanè & frequentius tuba oris ſacerdoti inſlanda eſt pro fide & ſanctis moribus per conciones & exhortationes. Victoria enim quæ vincit mundum. *Secundũ Beatum Ioannem*, eſt fides noſtra. *Et Diuus Paulus in Epiſtola ad Hebræos, omnia fortia veterum Patrum facta tribuit eximiæ eorum fidei.*

2. *Conſidera nõ ſolùm fidem, qua credimus omnia quæ Ecclesia Romana credenda proponit, excellentem debere eſſe in eo, ſed etiam ſpem, vel fiduciam, qua omnia poſsibilia redduntur credenti, ita vt etiam montes queat transferre, vt ait* CHRISTVS *apud Marcum 8. & Lucam 17. S. Iacobus autem 1. cap. vult illam fiduciam debere eſſe firmiſſimam non hæſitantem,* Qui enim hæſitat, *ſupple, ſe impetraturum quæ à Deo petit,* Similis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur, nec æſtimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino. *Vnde Chriſtus ferè omnia miracula illi*

firmæ fiduciæ adscribit. Matth: 1. & 9. Fiat, *inquiens,* tibi sicut credidisti, vel fiat secũdum fidem tuam. 2. *perpende rationem huius esse quia sacerdotis maximè est orare pro alijs, & vitam piam sanctamq́ instituere, vt posit petita impetrare, quia ad hoc à Deo, tãquam mediator inter Deum & homines est constitutus. Heb: 5. Vnde & alijs in genua cadentibus tempore Missæ solus ipse stat, quasi, integritate vitæ fretus audeat, pro alijs metu consternatis orare, vel certè quia hortatur Apostolus, vt cùm fiducia ad thronum gratiæ adeamus, quo misericordiam consequamur. Hebræorum 4.*

3. C*Onsidera cum fidei debere habere quoq; & diuinæ scripturæ, rerumq́; Theologicarum pro officij magnitudine coniunctam scientiam & sapientiam, & attendere, vt, Apostolus monet Timotheum.* lectioni, exhortationi, & doctrinæ. *1. Timothei 4. Quilibet enim sacerdos curam habens animarum, tenetur exponere Euangelium, Catechesin fidei Christianæ tradere, & eos qui contradicunt redarguere. Si enim S. Petrus vult omnes esse, paratos* ad satisfactionem omni poscenti

de fide, quæ in ipsis est, 1. *Petr:* 3. *quantò magis debent esse sacerdotes, qui aliorum sunt Magistri & Doctores? quid turpiùs est, quàm sacerdotem non posse respondere alicui garrulæ muliérculæ, vel proteruo adolescentulo hæretico obiectanti, vt hoc tempore fit, scripturæ testimonia? Vnde Chrysostomus scribit, sacerdotem in omnibus debere esse sapientissimum. & mille instructum oculis, vt non solùm sibi, sed etiam toti populo seruiat. Deus verò apud Oseã Prophetam, Osea 4. comminatur repulsam à dignitate sacerdotij imperitis.* Quia *inquit,* tu scientem repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *& B. Paulus. 1. Cor: 14.* Qui autem ignorat, *nempè ea quæ scire tenetur,* ignorabitur, *nẽpè in die iudicij, cùm dicetur.* Nescio vos.

MEDITATIO V.

Feria sexta.

De caritate, qua flagrare debet Sacerdos.

1. Considera *sacerdotem nulla magis virtute, quàm caritate debere flagrare,*

tùm quia fides, spes aliæq; virtutes omnes, teste Apostolo, 1. Cor: 13. sine illa nihil prosunt; tùm quia officium sacerdotis vel Pastoris, tàm ratione potestatis ordinis, vt dignè conficiat & administret Sacramenta, quàm iurisdictionis, quatenus curam animarum habet illud omninò postulet. 2. nota typum huius gessisse veteris testamenti sacerdotes, quorum functio erat, ignem sacrum quotidiè in altari fouere. Leu: 6. Quid enim ignis ille designabat nisi sacram Eucharistiam, Deum & hominem in se sub specie panis & vini continentem. Deus autem ignis consumens est. Deut: 4: quē sacerdotes nostri non solùm quotidiè conseruant, sed etiam conficiunt. Deinde vestiti esse debebant cocco bis tincto vt indicaretur sacerdotem debere duplici caritate flagrare, in Deum, scilicet & proximum.

2. CONsidera Christum Sacerdotum secundùm ordinem Melchisedech Psalmo 109. Principem, cuius vices obeunt omnes sacerdotes nostri in consecrando corpore vt diximus, Christi, dum aiunt, Hoc est Corpus meum, maximè declarasse caritatem erga nos cum instituit Apostolos in Sacerdotes. Nā

B. Ioannes

B. Ioannes *Ioan: 13.* de extrema cœna *acturus, præmittit, quòd,* in finem dilexerit illos. *Deinde ex mero in eos amore instituit S. Eucharistiam, id est, excogitauit modum, quo perpetuò nobiscum realiter maneret. Adhæc longum habuit sermonem de nouo mandato caritatis. Postremò, ex nimio amore Sanguinem suum pro nobis fudit.* Maiorem enim caritatem nemo habet, *inquit ipse,* quàm si animam suam quis ponat pro amicis suis. *Ioan: 15.*

3. Considera, *quod Christus instituturus Principem Sacerdotum & Pastorum Petrum, Ioan: 21. de caritate tantùm, & euidẽter eum percunctatus est.* Simon diligis me plus his. *Et ille tandem respondit.* Domine tu scis quia amo te. *Christus verò.* Pasce ergo oues meas, *indicans ad pascendas doctrina & exemplo oues; & ad gubernandũ Ecclesiam, maximè opus esse ardenti caritate in Deum & proximum, Veri siquidem Pastoris est, ouem perditam requirere, & inuentã, relictis licèt 99. ouibus humeris sublatam in ouile portare. Luca 15. Eiusdem est adueniente lupo, Ioan: 10. & persecutione exorta, nõ*

cum mercenario qui non est Pastor, fugere sed animam ponere pro ouibus. Eius est cognoscere omnes oues, easq; exemplo vitæ sanctæ præcedere, efficereq; vt se suamq; doctrinam & vitam sequantur, quòd non facilè impetrabit, nisi multis beneficijs & amoris indicijs eas sibi deuinciat, ac tandem claue sua cœlesti, quàm accepit, Regnum Cœlorum illis aperiat.

MEDITATIO VI.

Die Sabbathi,

De humilitate Sacerdoti necessaria.

1. C*Onsidera humilitatem esse omnium virtutum fundamentum, ac imprimis teste Chrysostomo,* Hom: 18. ad pop: *officij sacerdotalis, & ideò ea quoq; excellere debere sacerdotes. Vt enim quo domus altiùs ædificatur, hoc profundiùs requirit fundamentum, & arbor, quò ramos longiùs educit, hoc profundiùs agit radices, & quo fructibus onustior est, hoc magis se in terram inclinat, sic quò sublimior est sacerdotis dignitas, hoc maior eius debet esse humilitas iuxta illud sapientis dictum:* Ecclesiastici tertio. Quantò magnus

es humi-

es humilia te in omnibus. 2. *perperde esse & custodem omnium virtutum vt vult B. Hieronymus, & S. Augustinus.* Qui enim sine humilitate, *inquit B. Gregorius. Hom: 6. in Euang:* Virtutes congregat quasi puluerem in ventum portat. *Conseruat autem eas, tùm quia sicut qui iacet, non habet, vnde cadat, sic humilis non facilè labitur in peccatum, tum quia sicut ignis sub cinere, & fructus sub folijs, ita virtutes sub humilitatis operculo, & absconduntur & faciliùs conseruantur.*

2. C*Onsidera. Seruos Dei, humilitate magna præditos, maximè fuisse à Deo laudatos & exaltatos. Abraham Genes: 18. qui puluerem & cinerem se vocabat. Pater omnium fideliũ factus est. Dauid qui pulicẽ, 1. Reg: 24. Vir secundùm Dei. S. Ioannes qui indignũ se faciebat, vt solueret corrigiã Christi, Matth: 3. dignus redditus est, qui Christum baptizaret, & digito monstraret. S. Petrus cùm Domino diceret.* Exi à me Domine quia homo peccator sum; *Luca 5. audijt statim ab eo.* Ex hoc eris homines capiens; *& postea factus est caput totius Ecclesiæ, & clauiger*

Regni cœlorum. Centurio dicens. Matth. 8. Non sũ dignus, vt intres sub tectũ meũ, audiuit *à Christo.* Non inueni tãtã fidẽ in Israël. *B. Virgo ex humilitate se vocans ancillam Domini, meruit fieri mater Dei. 2. perpende & Christum summum sacerdotem hãc virtutem imprimis Apostolis commendasse dũ diceret.* Discite à me quia mitis sum & humilis corde. *Et rursus.* Si quis inter vos vult primus esse, sit omnium nouissimus. *Atq; etiam cùm eos sacerdotes facturus esset, exercuisse, cùm lauit eorum pedes, & dixit. Ioan. 13.* Si ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.

3. C*Onsidera. Cùm sacerdotum proprium officium sit deprecari & sacrificia offerre pro populo, nihil æquè iuuare ad reconciliandum Deum & impetrandam gratiam, ac humilitatem precibus coniunctam.* Ad quem enim respiciam. *ait, Isaia vltimo. Deus apud Isaiam,* nisi ad humilem & pauperculũ. *Et Dauid.* Cor contritum & humiliatũ Deus nõ despicies. *Et Iesus Syrach, Eccl. 35* Oratio humiliantis se penetrat nubes.

Et S. Iu-

Et S. Iudith. capite. 9. Humilium, *inquit*, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. *B. Iacobus*, *Iacob: 5. & B. Petrus.* Deus superbis resistit, humilibus autē dat gratiam. *Vnde Iosue capit:7. cum in terram se prostrauisset, Deum mox sibi propitiū reddidit. Et Dauid cum humiliter peccatum suum confessus esset, 2. Reg:12. ilico à Propheta audiuit.* Dominus quoq; transtulit peccatum tuum. 2. *nota nihil æquè valere ad vincendas tentationes dæmonis ac humilitatē, cuius ratio est, quia ille ob superbiam æterna fœlicitate excidit. Vnde S. Antonius cùm videret mundum plenum laqueis, responsum accepit à Deo, omnes euadi sola humilitate. Quare nihil æquè valet ad promerendum Regnum Cœlorū ac humilitas.* Beati, *inquit Christus, Matth: 5. & 18.* pauperes spiritu, *id est, humiles*, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. *Et Luca* 4. Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum. *Et rursus.* Qui se humiliat exaltabitur.

MEDITATIO VII.

Die Dominico.

De Castitate Sacerdotibus necessaria.

1. C*Onsidera si veteris testamenti sacerdotes toto tempore quo ministrabãt tabernaculo, à domo & vxore abesse tenebantur,* 1. Par: 24. *(ministrabant enim per vices) quantò magis noui testamenti sacerdotes, qui non per vices sed semper ministrant, debent à coniugio & omni consuetudine fœminarum abstinere. Deinde si Achimelech* 1. Reg: 21. *sacerdos noluit Dauid famelico dare panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset eum ab vxore aliquandiu se continuisse; si idem populo faciendum fuit, cùm esset legem à Deo accepturus,* Exod: 19. *quantò magis cõuenit sacerdotes nostros ab omni fœminarum contubernio alienos esse, quibus quotidiè in sacrificio Missæ, Corpus Domini per panes propositionis præfiguratum, non solùm sumendũ, sed etiã conficiendũ manibusq; tractandũ est.*
2. *Considera Diuũ Paulũ* 1. Cor: 7. *docere eos qui vxorem habent sollicitos esse, quæ sunt mũdi, vt placeant vxori, & esse diuisos, id est, in multas solicitudinum partes, vt exponit Hieronymus.*

ronymus, *Hier: in Iouin:* distractos: qui autẽ non habent, cogitare quæ Domini sunt, vt sint sancti corpore & spiritu: consequens est sacerdotes minimè fœminis adhærere debere.

2. Considera puritatẽ animi & corporis, nõ solùm à Diuinis Scripturis, sed etiã ab omnibus Cõcilijs summis Põtificib⁹, omnibusq; Patribus & Doctoribus, quotquot in Ecclesia hactenus fuerũt, eãq; nõ vulgarẽ, sed singularẽ & eximiã in sacerdotibus postulari, idq; multis de causis. 1. quia sanctissimũ sacrificiũ Missæ, quo nihil augustius, crebrius peragere, in eoq; purissimũ Dñi Corpus ore suo cõsecrare, & manibus tractare, alijsq; porrigere debẽt. 2. quia assiduè orationib⁹, vt sacrarũ horarũ lectioni, & diuini officij decãtationi, quæ mentẽ puram trãquillã & in Deũ eleuatã requirũt vacare tenẽtur. 3. quia prædicatione, & sanctæ vitæ exẽplo plebẽ ad omnẽ virtutẽ, earũdẽq; perfectionẽ inflammare. 4. quia debet partẽ temporis impẽdere ouib⁹ suis, vel subditis erudiẽdis, & in viã, dũ à via aberrãt reducendis, ac si ægri sint, in visendis, solãdis, & pascẽdis, pauperib⁹ itẽ, iuuãdis, peregrinis recipiẽdis, sacramentis varijs administrãdis: quæ omnia sanè requi-

runt hominē, non solùm ab vxore & liberis, sed etiā omniū negotiorū secularium cura liberrimū. vnde Apostolus. Nemo, inquit, militans Deo implicat se negotijs secularibus. 2. Tim: 2.

3. Considera Sacerdotem, si castitatē inuiolatā non seruet, multò grauius peccare, quàm peccēt in eodem genere homines seculares. Primò, quia sacrilegium committit. Si quis templum Dei violauerit. inquit Apostolus, 1. Cor: 13. disperdet illum Deus, at quis templū Dei sanctum, & Deo consecratum propriè est, nisi sacerdos, toties per varios ordines inunctus, & vices Dei & Angelorū subiens? 2. quia violat votū castitatis ipsa ordinis susceptione tertio factū. 3. quia summo scandalo est bonis & malis, imò & vilißimis hominibus: quòd scandalū tantū hoc sæculo est, vt causam dederit tot hæresibus. 4. quia si in statu huius peccati celebret aliaq; sacramenta administret, Christum crucifigit, Christo in faciem spuit, Christum cùm Iuda prodit, imò pedibus conculcat & in cloacam proijcit. Quid enim aliud est os sacerdotis impudici vel concubinarij, quid aliud eius anima vel cor,

quàm

quam cloaca fœtidißima? Quid eſt margaritas proijcere ante porcos, ſi hoc non eſt? videlicet cum impudicus Sacerdos audet celebrare?

SPECVLVM SACERDOTUM.

VIri venerabiles Sacerdotes Dei,
Præcones altiſſimi lucernæ diei;
Charitatis radio fulgentes & ſpei;
Auribus percipite verba oris mei.
Vos in ſanctuario Deo deſeruitis,
Vos vocauit palmites Chriſtus vera vitis,
Cauete ne ſteriles, aut inanes ſitis,
Si cùm vero ſtipite viuere velitis.
Vos eſtis Catholicæ legis protectores,
Sal terræ, lux hominum, ouium Paſtores,
Muri domus Iſraël, morum correctores,
Iudices Eccleſiæ, gentium Doctores.
Si cadat protectio legis, lex labetur,
Si ſal euanuerit, in quo ſalietur?
Niſi lux appareat via neſcietur.
Nec ſi Paſtor vigilet ouile frangetur.
Vos cæpiſtis vineam Dei procurare:
Quàm doctrinæ riuulis, debetis rigare:
Spinas, atque tribulos procul extirpare:
Vt radices fidei poſſint germinare.
Vos eſtis in area boues triturantes,
Prudenter à palea granum ſeparantes,
Vos habent pro ſpeculo legem ignorantes
Laici, qui fragiles ſunt & inconſtantes.

Quicquid vident laici vobis diſplicere,
Dicunt procul dubio ſibi non licere,
Quicquid vos in opere vident adimplere,
Credunt eſſe licitum, & culpa carere.
Cùm Paſtores ouium ſitis conſtituti,
Non eſtote deſides ſicut canes muti,
Vobis non deficiant latratus acuti,
Lupus rapax inuidet ouium ſaluti,
Grex fidelis triplici cibo ſuſtinetur,
Corpore Dominico, quo ſalus augetur,
Sermonis compendio, quòd diſcretè detur,
Mundato cibario, ne periclitetur.
Quibus tenemini veſtris prædicare,
Sed quid, quibus, qualiter, vbi, quando, quare,
Debetis ſolicitè rem conſiderare,
Ne quis in officio dicat vos errare.
Spectat ad officium veſtræ dignitatis,
Gratiā petentibus dona dare gratis,
Sed ſi vnquam fidei munera vendatis,
Incurſores Gæzy lepram vos ſciatis.
Gratis Euchariſtiam plebi miniſtrate:
Gratis confitemini gratis baptizate,
Secundùm Apoſtolum, cunctis gratis date,
Solùm id quòd fuerit veſtrum conſeruate.
Veſtra conuerſatio ſit religioſa:
Munda conſcientia, vita virtuoſa:
Regularis habitus, menſque gratioſa:
Nulla vos coinquinet labes criminoſa;
Nullus faſtus deprimat veſtræ ſignum mentis,
Grauis intuitus, habitus ſit teſtis,

Nihil

Nihil vos illaqueet curis inhonestis,
Quibus claues traditæ sunt regni cælestis.
Estote breuiloqui, ne vos ad reatum
Pertrahat loquacitas, nutrix vanitatum:
Verbum, quòd proponitis; sit abbreuiatum,
Nam in multiloquio non deest peccatum.
Estote beneuoli, sobrij, prudentes:
Iusti, casti, simplices, pij, patientes,
Hospitales, humiles, subditos docentes,
Consolantes miseros, prauos corrigentes.
Vtinam sic gerere curam pastoralem
Possitis & ducere vitam spiritalem,
Vt cum exueritis clamidem carnalem,
Induat vos Dominus stolam æternalem.
Qui sedet in solio summæ maiestatis,
Vos purget à vitio, mundet à peccatis.
Vobis sit auxilio vestræ pietatis,
Vt Abrahæ in gremio tandem sedeatis.
Amen.

ALPHABETVM SACERDOTALE, COLlectum

lectum ex Epistola S. Hieronymi ad Nepotianum, de vita Clericorum & Sacerdotum scripta,

A

ASsistat tibi quilibet Sanctus frater alii-

ter infirmo, vel germana, vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei, & castimoniæ. Scio enim quosdam conualuisse corpore, & animo ægrotare cæpisse. Periculosè tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis.

B

BOni omnes, clericos cõsolatores, potiùs in mœroribus suis, quàm conuiuas in prosperis nouerint.

C

CAue ne aut linguam aut aures habeas prurientes: ne aut ipse alijs detrahas aut alios audias detrahentes. Discat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere. *Cùm detractoribus*, ait Salomon, *non miscearis.*

D

DOcente te in Ecclesia, non clamor populi sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum laudes tuæ sint. sermo Presbyteri scripturarum lectione sit cõ-

ditus.

ditus. Multò melius est è duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem.

E

EPiscopi sacerdotes se esse nouerint, non Dominos: honorent Clericos quasi Clericos; vt & ipsis à Clericis, quasi Episcopis, honor deferatur. Recordentur semper, quid Apostolus Petrus præcipiat sacerdotibus: 1. Petr. 5. *Pascite eum, qui in vobis est, gregem Domini:*

F

FAcile contemnitur Clericus, qui sæpè ad prandium vocatus non recusat. Nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. *Beatius enim est magis, dare.*

G

GLoria Episcopi est, pauperum inopiæ prouidere. Ignominia sacerdotis est proprijs studere diuitijs. Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem saturare ventrem poteram: nunc similam & mella fastidio.

H

HOſpitiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Nec ſub eodem tecto habites. Nec in præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior Dauide, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quòd paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit.

I

IVdex ſęcularis plus defert Clerico continenti, quàm diuiti, & magis ipſius ſanctitatem venerabitur, quàm opes.

K

Κλῆρος Græcè, ſors latine appellatur. Hinc Clerici vocantur, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors i. pars Clericorum eſt. Talem ſe exhibere debet. Clericus vt dicat cum Pſalmiſta 15. *Dominus pars hæreditatur mea.*

tur meæ. Et Pſal. 72. *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram. Defecit caro mea & cor meum DEVS cordis mei; & pars mea DEVS in æternum.*

L

LEpores, & riſu dignas vrbanitates, omnes delicias, & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubeſcimus; in ſæculi hominibus deteſtamur: at quanto magis in Clericis.

M

MEnſulam tuam pauperes, & peregrini, & cum illis Chriſtus conuiua nouerit. Negotiatorem Clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili glorioſum, quaſi quandam peſtem fuge.

N

NON confundant opera tua ſermonẽ tuum: ne cum in Eccleſia loquaris, tacitus quilibet reſpondeat, cur ergò hæc, quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiunijs diſputat.

O

OFficij tui est, ô sacerdos non solùm oculos castos seruare, sed & linguam. Nunquam de formis mulierum dispu-tes, nec quid agatur in alia, domus alia per te nouerit.

P

PInguis venter non gignit mentem te-nuem. Tantum tibi ieiuniorum mo-dum impone, quantum ferre potes. Sinttibi pura, casta, simplicia modera-ta tua, & non superstitiosa ieiunia.

Q

QVidquid inebriat, & statum mentis tuæ euertit fuge. Nec hoc dico, quod Dei à nobis creatura damnetur; Sed modum pro ætatis, & valetudinis, & corporum qualitate exigimus in po-tando.

R

RVmusculos hominum, caue, ne au-cuperis, ne offensam Dei populorũ

laude commutes. *Si adhuc*, inquit Apostolus, *hominibus placerem Christi seruus non essem.* Desijt placere hominibus, & seruus factus est Christi.

S

SCiat Episcopus cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi pauperum curæq; præficiat. Melius est non habere, quòd tribuam, quàm impudenter petere, quòd recondam.

T

TAles habeto socios, quorum contubernio non infameris. Caueto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante declines. Qui te sequitur non ornetur veste, sed moribus, pudicitiamq; habitu polliceatur.

V

VIs scire qualem â Clerico Dominus requirat ornatum. Requirit prudentiam, pietatem, iustitiam, castitatem, temperantiam, fortitudinem. Nihil his

mon-

monilibus pretiosius, nihil hac gemmarum varietate ornatius.

X

XHristi miles sacerdos graditur per bonam & malam famam, à dextris & à sinistris, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, non diuitiis tumet, non contrahitur paupertate, & læta contemnit, & tristia, per diem sol non vrit eum, neque luna per noctem.

Z

Z*Elo zelatus sum pro Domino exercituum.* 3. *Reg.* 19. Hoc sit semper symbolum hæc nota, hæc tessera & scopus sit pij sacerdotis.

ORATIO SACERDOTIS, maximè Parochi singulis diebus post meditationem recitanda.

CLementissime Domine IESV *Christe, Pontifex æterne, qui me indignum famulum tuum ad functionem muneris Apostolici vocare dignatus es, vt oues tui ouilis salutari pabulo doctri-*

næ pa-

næ pascerem, & Ecclesiæ tuæ, quam pretioso tuo sanguine redemisti, præessem, horreo & toto corpore contremisco quoties considero, quis ego sim, & quid requirit onus, quod infirmis humeris meis incumbit. Qui enim pro vna & sola animula mea rationem reddere non possim, pro toto grege mihi à te cõmisso quomodo reddam.

Obsecro te Principem Pastorum, digneris me inutile instrumentum tuum aptare, & vocatione mea me dignum præparare. Da mihi seruo tuo gratiam Spiritus sancti, vt feruenti spiritu prædicem verbum tuum, ne aures tantum feriat, sed cor penetret auditorum, & fructum adferat optatissmum. Renoua vitam meam & mores meos in melius cõmuta, ne dum alijs prædicem, ipse reprobus efficiar.

Tolle à me superbiam, iracundiam, ebrietatem, incontinentiam, & turpis lucri cupiditatem, largire verò humilitatem, sobrietatem, continentiam, amo-

rem paupertatis, & zelum animarum. Concede mihi spiritum lenitatis & mãsuetudinis, vt omnes mihi à te commissos, in visceribus meis diligã, nec aliter cõplectar eos tanquã mater vnicũ quem habet filium, nemo infirmetur cum quo ego non infirmer, nemo scandalizetur & ego non vrar.

Iuua me Domine, vt quod infirmũ est consolidẽ, quod ægrotũ est sanem, quod confractũ est alligẽ, quod abiectũ est reducã, quod perierat quærã. Quod concredisti mihi custodiã, & vnus ex eis nõ pereat. Sanctifica eos Domine, & ab omnibus inimicis, & aduersitatibus corporis & animæ custodi. Sic mihi obtẽperent, sic me diligant, vt ego & verbis & exẽplo illos præcedẽdo, & illi me sequẽdo pariter curramus ad te verũ animarum nostrarum Pastorẽ, qui nos in loco pascuæ pinguissimæ collocabis, vbi viuis & regnas DEVS, *per omnia sæcula sæculorum,* AMEN.



